ſecretiſſimas deliberationes veſtras aſſequitur, conatuſque veſtros optime concinnatos evertit, cum vel ipſi contumelioſi ſunt, vel ab illius voluntate recedunt. *Perdam ſapientiam ſapientium* &c.

Sæpe, qui mūdo videtur ſapientiſſimi, in iis quæ ad ſalutem pertinēt, cæciſūt.

Stultiſſimus ſum virorum. Prov. 30. Si fidei, vel rationis oculos ſatis puros haberemus, ut in ſalutis noſtræ negotio de nobiſmetipſis judicium ferremus, næ ipſi quidem coram Deo rubore ſuffunderemur . . . . Exclamaremus cum Salomone, & potiori jure dicere poſſemus: *Stultiſſimus ſum virorum*. Me ingenium ſublime ferunt; me doctum hominem, ac in rerum agendarum cognitione peritum dicunt; ſed cum propius me ipſum excutio, & conſidero quid ſum, & quid facio, video nullam eſſe meæ ſimilem ſtultitiam. Aliena quidem curo, meorum autem obliviſcor, Familiam meam divitiis exorno, filios meos locupletari contendo, ac in id omnem operam navo, interim vero de me quid fiet? Quodnam erit fatum meum non in hac tantum vita, quam in alia? Nihil equidem ſcio, & ad id ne obiter quidem fortaſſe animum appuli: *Stultiſſimus ſum virorum*.

Obſcurentur oculi eorum, ne videant. Pſalm. 68. Magna hæc ingenia, quæ rebus terrenis abdita, & unice fortunæ ſuæ provehendæ dedita, tanta dexteritate delicatiſſima quæque, & difficillima expediunt negotia, atque ſumma perſpicacia ſecretiſſimas quaslibet ambages enucleant, non vident objecta, quæ omnem illorum diligentiam merentur, ac illis tantum adhæreſcunt, quæ ſunt contemnenda, quia cœci ſunt. Diceretne aliquis illis bonos non eſſe oculos? Ita ſane dicet, qui Chriſtiano ritu judicare volet: ſatius eſſet non videre omnino, quam male videre: *Obſcurentur oculi eorum ne videant*.

Prudentes ſæculi non vident objecta niſi per medium affectuū ſuorum.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Joann. cap. 11. Politici illi, atque illuminati Jeroſolymæ ſpiritus, qui Caipham convenerunt de vita, vel morte Jeſu Chriſti deliberaturi, non reſpexerunt illum velut hominem irreprehenſibilem moribus, atque eximiæ ſanctitatis virum, neque tamquam miraculorum opificem, ſed velut hominem, cujus vita ſuæ officeret exiſtimationi, & qui, ut ajebant, reipublicæ interitum afferre, ac privatorum fortunis obeſſe poſſet. Mundanos hic metus illos movit, atque impulit ad agendum; niſi cum interpretibus dicere velimus, tres conſiliarios, quibus aures adhibuere, tres fuiſſe incompoſitos affectus ſuos: invidiam, quam Jeſu Chriſti miracula excitabant: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ambitionem, quæ efficiebat, ut & ipſi univerſales plauſus quibus Jeſus excipiebatur, deſiderarent: *totus mundus poſt eum vadit*: avaritiam, quæ illis metum injecit, ne Romani ipſorum eriperent bona: *Venient Romani, & tollent noſtrum locum*. Ita ſæculi prudentes nonniſi per affectiones ſuas, quæ quidem diverſos rebus colores allinunt, atque eas ſpecioſis prætextibus celant, omnia proſpiciunt. Ambitioſus exiſtimat ſe nihil niſi ex animi magnitudine, atque pro bono publico operari.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

HÆc eſt vera ſapientia, ut id quod Domino revelante fugiendum eſſe intellexerimus, cautiſſima vigilantia fugiamus. Auguſt. de Serm. Domini in monte.

Prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiſcit. Idem, lib. 83. Quæſt. Quæſt. 6,

Habes prudentiam, cujus eſt flere occidua, & quæ æterna ſunt, quærere. Ambroſius in cap. 6. Lucæ.

Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt, quia ignorat Deum, quem ſemper deberet inquirere. Idem.

Primus officii fons prudentia eſt, qui & in virtutes derivatur cæteras. Idem, lib. 1. Offic. cap. 27.

Nihil agit ſapiens niſi quod honeſtum ſit, niſi quod cum ſinceritate ſine fraude ſit, neque quidquam facit, in quo ſe crimine quoquam obliget, etiamſi latere poſſit. Idem. lib. 3. Offic. cap. 5.

Prudentia eſt virtus, quam ſi quis rite ſectatus fuerit, numquam ob officio, virtuteque abſcedet, numquam vitiorum peſtem incurret. Baſil. Homil. 12.

Prudentia abſque bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Hieronymus, ſuper Oſeam.

Sapientes, non terreni aliquid emolumenti pro divitiis habent, ſed coronam ſolummodo, quam pro virtutibus in futuro percipiunt. Idem in cap. 14. Prov.

Prudentem dico, non ſcientem & doctum, ſed ſenſatum, & mente acutum, qui poteſt rerum ponderare naturas, & ſecundum quod [e]ſt rationabiliter omnia agere. Chryſoſt. Homil. 5. in Matth.

Altus gradus prudentiæ eſt ordinare vitam ſecundum exempla ſanctorum, altiſſimus ſecundum exemplum Chriſti. S. Bonav. de Gradibus virtut. cap. 9.

Tolle prudentiam, & virtus vitium erit. Bernard. Serm. 49. in Cant.

Uno verbo, eſt ſapiens, cui quæque res ſapiunt prout ſunt. Idem, Serm. 1. de verb. Apoſt. non eſt regnum Dei eſca & potus.

Inveniſti plane ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi hujus ſæculi deſiderabilia parvipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Idem, in Sermonibus.

Soli Chriſtiani veram ſapientiam habent. Abbas Nilus, in Biblioth. Patrum.

Acuti ad vana, hebetes ad æterna. Ambroſ.

Inutiliter in hoc tempore vivitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternum vivatur Auguſtinus.

PARAGRAPHUS V.

Quid hoc in Argumento ex Theologiæ fontibus peti queat.

Definitio prudentiæ generatim ſūptæ.

COmmunis definitio, quam Ethicorum magiſtri de prudentia tradant, hæc eſt: recta ratio eorum, quæ agenda ſunt, non ſecus ac ſcientia recta ratio eſt eorum, quæ ſunt ſcienda: videlicet, prudentia virtus eſt intellectus, per quam cum bonus propoſitus fuerit finis, viæ quæruntur, quibus ad eum perveniatur. De viis hujuſmodi deliberatur, aptiores eliguntur, ac denique quod conſilii captum eſt, vel adimpletur, vel ab aliis adimplendum curatur. S. Auguſtinus lib. de liber. arb. illam paucioribus verbis deſcribit, cum illam vocat ſcientiam eorum, quæ capienda ſunt, vel fugienda. S. Baſilius in princ. Prov. 2. illam vocat faciendorum, atque omittendorum cognitionem: quæ omnia unum, & idem ſignificant. S. Thomas quoque 2. 2. qu. 37. art. 4. virtutis hujus notionem tribuit dicens hanc non intellectualium tantum, verum etiam moralium virtutum naturæ participem eſſe, quatenus non confert nobis ſolum bene operandi facultatem, vel facilitatem, ſed quatenus id faciendi exercitationem etiam tribuit, & uſum rectificans voluntatis, ut actiones illius bonæ, atque honeſtæ ſint; videlicet officium prudentiæ eſt non conſiderare ſolum, quod eſt rationi conforme, ſed hanc ipſam rationem actioni applicare, quod fieri nequit, niſi voluntas ſit rectificata.

Quid ſit ſapiētia, & ejus definitio.

Cum Evangelici verbi præcones hos paſſim confundant prudentiæ, atque ſapientiæ terminos, tunc potiſſimum, cum de Chriſtiana agitur prudentia, operæ pretium eſt ſcire, a Div. Thoma ſapientiam dici cognitionem rerum naturam inveſtigantem, primum requirentem principium, unde fluunt, extremumque finem, ad quem referuntur. Ideoque ſapientia proprie loquendo cognitio eſt veritatis, quam habemus de primis, ſupremiſque cauſis, unde fit, ut qui plurima ſcit per experientiam, poſtquam attentius ſecundas inſpexerit cauſas, earumque effectus connotaverit, doctus quidem appellari poſſit, ſed non ſapiens, niſi cogitationem ad ſublimiores cauſas extulerit. Secundum hoc principium vera ſapientia conſiſtit in perquiſitione veri boni, & noſtri extremi, præcipuique finis, qui & Dei gloria eſt, & noſtra. Veri autem ſapientes illi ſunt, qui ſemper in mente habent intentionem colendi Deum, eique placendi, qui ſciunt terrenas res tanti facere, quanti valent; illaſque ad Deum, a quo creatæ fuerunt, remittere, iiſque bene uti ad æternitatem merendam.

Triplex prudentiæ genus diſtinguitur.

Vulgo tria prudentiæ genera diſtinguuntur. Prima eſt *naturalis prudentia*, quæ ex recto potius ſenſu, quam ex diuturna proficiſcitur experientia. Altera eſt *prudentia acquiſita*, quæ rebus tranſigendis, atque conſiderationibus fit. Tertia denique nec acquiſita, neque naturalis eſt, ſed *infuſa*, quæ nonniſi ſuperioris rationis præcepta ſequitur, & ſecundum fidei lumina operatur, & quæ proprie illa ſapientia eſt, unum ex donis Spiritus Sancti, de quibus nuper locuti ſumus. Hæc autem ſupernaturalis, & Chriſtiana prudentia vitæ noſtræ regula eſſe debet, & de illa hoc in tractatu agendum eſt, quin tamen aliæ duæ excludantur. Nam quemadmodum prima ſine altera ita imperfecta eſt, ut Ariſtoteles, & D. Thom. nolint illi prudentiæ nomen tribuere; & ſecunda ſine tertia ſemper errori obnoxia eſt in finis ſui electione; ita ſupernaturalis prudentia utriuſque ſupplet defectui, & utraque utiliter utitur, ubi cum illis invenitur.

Falſa prudentia, cum de ſalute agitur.

Quemadmodum in terrenis negotiis non deeſt falſa prudentia, quæ ignorat, quid vere proſit, quæ ſine modo conſilia machinatur, eaque infelici eventu perficit, & quæ ut gloriam, vel fortunam aucupetur, ea inſiſtit via, qua longius aberrat: in iis etiam, quæ ad ſalutem pertinent, cæca ſapientia eſt, quæ malum cum bono confundit, quæ, ut Propheta quidam ait, tenebras accipit pro lumine, & viam, quæ ducit ad mortem pro illa, quæ ducit ad vitam; falſam hanc prudentiam, atque ſapientiam iſtic perſtringimus, prudentiam, ſapientiamque dupliciter deceptam, eo quod ignorat veritatem, quam ſe cognoſcere credit, & arbitratur ſe eam ſequi veritatem, quam deſerit. Falſa hæc prudentia multiplici nomine appellari conſuevit: dicitur enim mundana politica, prudentia carnis, ſapientia, vel prudentia ſæculi.

Supremi verique boni amor prudentes nos facit.

Supremi boni amor prudentiam facit; hic nos regit, atque in mediorum electione facem nobis præfert: hic denique nobis aufert fallacium bonorum illuſionem, ac docet pretium, ac utilitatem earum rerum omnium, per quas unici, & ſupremi hujus boni poſſeſſionem nobis procurare poteſt. Ut ad eum, quem valde amamus, finem perveniamus, ſemper tutiſſimam, optimamque eligimus viam. Ad id ſemper tantum luminis, atque vigilantiæ nobis eſt, quantum eſt opus; vel ut melius dicam, animi affectio omnia mentis lumina objecto ſuo applicans efficit, ut hac in re ſummo polleat acumine. Hinc Dei Filius in Evangelio dixit, filios Mundi prudentiores eſſe, quam filios lucis: quod veriſſimum eſt; cum enim mundi ſectatores quam ardentiſſime ſuam fortunam, honorem, vitam, valetudinem adament, maximam habent dexteritatem, ut ex leviſſimis etiam proficiant occaſionibus; cum interim boni Chriſtiani, quamvis ad Deum ire contendant, tamen non eamdem habent diligentiam, ut earum rerum omnium, quæ ad finem ipſorum conducere valeant, quam ſeduliſſimam habeant rationem. Inde vero inferendum eſt, non eſſe in illis amorem veri boni, qui vere prudentes efficit; non quod hic amor eadem ſit prudentia, ſed tantum, quod principium eſt, quod ab illa ſupponitur.

De vera prudentia judicium eſſe debet ex fine.

Prudentia judicium eſt mentis, quo actio quælibet regitur ſingillatim. Judicium hoc vocatur etiam recta ratio, quæ virtutibus in omnibus dominatur, & ſine qua virtus nulla eſſe poteſt. De recta hac ratione paſſim in Ethicis occurrit ſermo, licet parum perſpicue explicetur. Hæc autem ad duo præſertim redigitur, quæ jam memoravimus, quorum alterum rectus finis eſt, quem ratio ſibi proponere debet; licet enim juſte ratiocineris, atque ſumma polleas dexteritate, ut opportuna capias conſilia, niſi propoſitus finis bonus fuerit, nulla prudentia eſt, nulla ratio recta: infelix aſtutia eſt, quæ eo tandem redit, ut nos miſeriores efficiat. Hoc eſt ingenio valere, ut te ipſum perdas, & callere viam, quæ ducit in præceps. Sed præter finem rectum, qui tamquam primum ponitur principium, & ſecundum quem ratiocinandum eſt, lumen etiam requiritur, cujus ope æqua capiantur conſilia, & fini appoſita media accommodentur; qua in re fere numquam deeſt; ita ut prudentia, & recta ratio in hoc ſitæ ſint, ut omnia metiri noveris ad finem tibi propoſitum aſſequendum, ut & ipſe ad Deum pervenias, & alios quoque ad finem eumdem perducas; qua in re tota Sanctorum ſcientia, & ſapientia Chriſtiani conſiſtit.

Prudentia regit mediocritatem, in qua virtus conſiſtit.

Hinc intelligi poteſt, prudentia, rectaque ratione regi mediocritatem, quam in rerum omnium uſu virtus tuetur. Vulgo hoc difficillimum eſſe, & nullam ſatis certam præſcribi regulam poſſe dicitur; quippe noſmet aptare debemus rerum ſtatui, ac perſonarum diſpoſitioni, quæ nihil habent conſtans, & uniforme, & in quibus mobilitas eſt, inconſtantia, & inæqualitas. Verum niſi certæ tradi regulæ poſſunt pro qualibet actione ſingillatim, poſſunt, immo debent generalia quædam tradi axiomata, non ita difficili negotio ſingularibus caſibus applicanda. Quod ſi horum axiomatum applicatio pendet a bona fide, amor boni, quem ſupponimus, certiſſime bonam fidem efficit; & dummodo bona fide velis ſecundum hæc axiomata omnia moderari, quamvis non ſemper indiviſibile mediocritatis punctum offendas, ad illud tamen propius accedes; & ſi nubeculæ, quas cupiditas paſſim offundit menti illam excæcatura, aliquando rectum nos tramitem celant, non ideo tamen procul aberrabimus, & amor finis, a quo numquam mentis aciem detorquemus, per intervalla in rectum callem adducit.

Cum nimis procedit ſapientia, jam virtus non eſt; non enim deſunt, ut ita dicam, quidam cancelli, ultra quos egredi nequit, & ad quos ſeſe debet extendere. Si ultra illos lumen ſuum transfert, eſſentiam ſimul, & nomen amittit, migratura in naturam, & qualitatem vitii, quod Scripturæ dæmoni attribuit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus*. Geneſ. 3. Hoc vitium re ipſa melius naturæ dæmonis, quam hominis convenit. Quamobrem Apoſtolus etiam atque etiam commendat fidelibus, ne, ultra quam fas eſt, velint eſſe ſapientes, ſed ſeſe intra juſtæ moderationis fines contineant: *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Ad Rom. 12.

Actus prudentiæ.

Ethnici Philoſophi quatuor præcipuos prudentiæ actus diſtinguunt, videlicet prævidentiam, conſilium, judicium, imperium. Prævidentia reſpicit futurum, vel finem, qui propoſitus eſt, & de quo eſt deliberandum. Conſilium mature deliberat de mediis, ut ad propoſitum finem perveniatur. Judicium in hoc ſitum eſt, quod poſtquam varia propoſita fuerint media, ac de illis fuerit deliberatum, optimum, & aptiſſimum, per quod finem conſequi poſſis, eligatur. Imperium eſt actio, qua adimpletur, quod deliberatum eſt, atque voluntas, ceteræque corporis, animæque facultates impelluntur ad manum operi admovendam, atque ad ea omnia, quæ fieri poſſunt, efficienda, ut fiat, quod in rem fore judicatum fuerit. Hæc autem prudentia cum quatuor actibus præſertim requiritur in ſummi momenti negotio, quale ſalutis negotium eſt, qui finis eſt, quem Chriſtiana prudentia ſibi debet proponere. Hoc unum animadvertendum eſt circa extremum finem, beatitudinem nempe, deliberandum non eſſe, ſed eo ſuppoſito de mediis tantum, quæ illuc perducunt, quærendum eſſe.

Multifariam contra Chriſtianam prudentiam peccatur.

Sex præcipui animadverti poſſunt errores, qui in humana accidunt vita circa Chriſtianam prudentiam; & qui præbent occaſionem diſtinguendi ſex imprudentium hominum genera, quos Scriptura inſipientes, & fatuos appellat. Primus error illorum eſt, qui nullum ſibi proponunt finem, qui numquam cogitant, propter quam cauſam in mundo ſint, & qui non conſiderant, quem terminum omnes actiones, conatuſque ſui ſint habituri. Hujuſmodi ſunt infiniti ferme Chriſtiani, quibus in hac vita non alius eſſe finis videtur, quam vivendi, ac tranſigendi tempus, quin umquam cogitent æternitatem. Error alter eorum eſt, qui ſibi malum proponunt finem, ac oppoſitum illi, pro quo unice in mundo ſunt. Id genus illi ſunt, qui extremum finem ſuum in bonorum mundi hujus poſſeſſione conſtituunt. Tertius eſt non eligere media apta ad eum finem, quem ſibi propoſuerunt, & qui bonus, atque honeſtus eſſe ſupponitur. Cum medium ad æternam felicitatem perveniendi, qui quidem extremus eſt finis noſter, ſit juſtitia, & praxis omnium Chriſtianarum virtutum; media hæc ab illis non eliguntur, qui oppoſita via illuc pervenire contendunt flagitioſum vitæ genus ſecuti, vel qui alia inſiſtunt via, quæ eo non perducit, quales ſunt actiones mere humanæ, & politicæ, quæ nullo pacto referuntur ad Deum. Quartus contra prudentiam error eſt eorum, qui volunt quidem finem, ac media neceſſaria: ſed qui non eligunt ea, quæ ſtatus ſui magis ſunt propria, vel qui tot amplectuntur, ut non ſint amplius media, vel viæ, ſed impedimenta eos prohibentia ne finem ſuum conſequantur. Quintus eorum eſt error, qui convenientia quidem, & congrua eligunt media, ſed illa ad finem non referunt; qui virtutes exercent, atque bona opera faciunt; ſed intentionibus abjectis, necnon terrenis, atque ut amori proprio, ac temporali cuipiam velificentur cupiditati. Sextus denique eorum eſt, qui ad finem media quidem referunt, ſed minus apte; qui ſingulis non eum referunt gradum, qui decet illos, qui exiguas res magnis præferunt, & conſilii, atque ſupererogationis operibus opera præcepti, atque obligationis poſtponunt. Hi ſunt errores imprudentiæ, qui efficiunt, ne proſpere ſuccedat ſalutis negotium, quod nobis ob oculos verſari debet.

Cum prudentiæ ſit virtutes omnes regere, omnia idcirco vitia prudentiæ oppoſita eſſe videntur; hæc tamen præ cæteris huic magis directe opponuntur, imprudentia, temeritas, negligentia, præceps conſilium, inconſtantia, inurbanitas, imperitia, defectus quicumque judicii, mentis, dexteritatis, conſilii, feſtinatio, anxietas, doli, fraudes, verſutia, omniaque mundi placita. Vera prudentia hæc omnia debet vincere: ſed hic non eſt locus oſtendendi quomodo hæc inter ſe differant vitia; ſcire ſatis eſt, hæc omnia cum Chriſtianæ, tum ethicæ tantum prudentiæ eſſe prorſus oppoſita.

Quanam in re quocūque in negotio prudentia conſiſtat.

Vera prudentia in eo ſita eſt, ut ex quovis difficili, impeditoque negotio te facile expedire noveris, utque eam afferas curam, & ordinem, qui neceſſe eſt, ut e voto ſuccedat. Cum autem nullum majoris momenti negotium ſit, & quod facilius nobis elabi poſſit, quam ſalus æterna; imprudentiſſimus ſane ille eſt, qui negligit illam, & quacumque dexteritate polleas, quocumque in rebus aliis acumine utaris, haberi equi-

equidem potes ſcitus aulicus magiſtratus, judex perſpicax, prudens imperator, callidus inſtitor, at Chriſtianus prudens, & vere ſapiens haberi non potes, niſi apte ſalutis tuæ negotio proſpexeris.

Humana prudentia ordinem a Deo inſtitutū ſubvertit media in finem convertens.

Deus unus eſſe poteſt hominis finis; alia quæcumque nonniſi media ſunt, quæ illum adducant ad Deum. Verum humana prudentia quid agit? Ordinem ſubvertit, ac finem ſuum facit, quod medium eſſe tantum deberet, quod Sanctus Auguſtinus his verbis expreſſit: *Utendis frui, & uti fruendis*. Opes non aliud ſunt, quam medium ad cœli theſauros acquirendos; eas vero politicus avarus in poſtremum ſuum finem convertit. Honores non aliud ſunt, quam medium ad Paradiſi gloriam promerendam; eos vero politicus ambitioſus in ſuum finem immutat. Mundi prudentes non reſpiciunt Deum, niſi quatenus conſiliis, atque utilitati ſuæ poteſt inſervire; ſed ex quo hæc prudentia carnis nos a noſtro fine vertit, noxia eſt; quia creaturam in Dei ipſius loco ſtatuit, eique maxime neceſſariam abrogat perfectionem, quæ in hoc poſita eſt, quod extremus ſit hominum finis, quemadmodum eſt ejuſdem principium.

Quemadmodum in vita civili quædam adſunt momenta, a quibus temporalium negotiorum exitus pendet, ita in vita ſpirituali adſunt momenta, a quibus noſtra pendet æternitas; & quemadmodum humanæ prudentiæ principium eſt non pati, ut pretioſæ hujuſmodi elabantur occaſiones, quæ vulgo numquam revertuntur, ita non poſtremum eſt Chriſtianæ prudentiæ præceptum quam diligentiſſimam habere hujuſmodi favorabilium occaſionum rationem, quibus ſalus noſtra adhærere videtur: hujuſmodi ſunt inopinati caſus, qui in animum noſtrum vim faciunt, jacturæ bonorum, morbi, adverſa fortuna, quæ efficiunt, ut noſmet colligamus &c.

Vulgaris humanæ prudētiæ error circa electionem eorum, qui ſunt cōſulendi.

Inter vulgares, ac pernicioſiſſimos humanæ prudentiæ errores non extremus ille eſt, qui accidit in eorum electione, quos illa in conſcientiæ, & religionis negotio conſulit. Deliberationes, & conſultationes in quolibet rerum genere non damnantur; immo periculoſæ plenum opus eſt aleæ conſilium non exquirere, ubi de re aliqua magni momenti agatur; ſed prudentis eſt non ab omnibus, neque in omnibus rebus conſilium capere. Denique ad id unum conſulendum eſt, ut veritas pateat: ideo qui eos conſulit, qui illam aperire nequeunt vel ob ſcientiæ, vel ob ſinceritatis defectum, imprudens, ac improbus eſt, quia decipi vult, atque ultro veritatem diſſimulat agens contra conſcientiam ſuam. Attamen hoc malo nihil vulgatius eſt. Humana quippe prudentia eos tantum conſulere vult, qui mundi placita ſectantur, eos, qui in errore verſantur, eos demum, qui illius conſilia, rationeſque probabunt. Cavet autem, ne conſulat Deum, divinarumque legum viros conſultiſſimos; atque hoc pacto videmus neminem ferme ex animo requirere veritatem; atque homines plerumque jam cœpiſſe conſilium, antequam illud petant, & eos quærere, qui ſibi blandiantur, & plaudant, non qui quod facto opus eſt doceant.

Hominum plerique de terrenis tantum negotiis deliberant, raro de moralibus, & ad vitæ rationem ſpectantibus, quamvis de his potiſſimum deliberandum ſit. Qui etiam magnum mentis jactant acumen, ubi de terrenis agitur bonis, conſilium petunt; ſed pro virtute, ac ſalutis negotio neminem conſulunt. Si quid edoceri cupiunt, hæ leves erunt circumſtantiæ, & minuti caſus, ſed de potiſſimo hujus negotii articulo ne ſermonem quidem inſtituunt, & quod nequius eſt, in quæſtionem vocant id, quod per ſe malum eſt, omnemque mentis adhibent vim in malum potius, quam bonum.

Duplicitas prudentiæ eſt oppoſita; non autem ſimplicitas Chriſtiana.

Poteſt aliquis prudens ſimul eſſe, & ſimplex; ſimplicitas in hoc ſita eſt, ut neminem fallat, prudentia vero, ut ſe a nemine falli permittat. Ideo dicit Salvator: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Matth. 10. Sed hodierna die, & ſemper prudens dicitur verſutus, & callidus homo, qui alienis ſumptibus negotia ſua promovere novit, & ſimplices dicuntur illi, qui ſibi ab aliorum fraudibus, ac dolis cavere neſciunt; quod idem eſt, ac ſi prodigum diceres liberalem, & parcum, atque frugi avarum vocares. Ita ſpecioſis vocabulis mala, & virtutum nominibus vitia palliantur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Diſcrimē Dei inter, mundique ſapientiā.

De ſapientia Dei [aliud ſentiendum eſt, ac de hominum ſapientia. Ille ſapiens non eſt vel propter conſilia, quæ ipſi traduntur, vel propter ſtudium, ac ſucceſſivas cognitiones, quas acquirit. Ille per ſe omnia novit, omnia regit, imperat omnia, utque ſuis probet inimicis, nullum capi poſſe contra ipſum conſilium, efficit, ut iniquitas eorum ſibi mentiatur, ut, licet invita, nequitiæ ſuæ in ſe præbeat teſtimonia, ac in eos decidat laqueos, quos aliis tetendit. *Ex ſermonibus moralibus*.

De mūdi prudentia, & ſapientia.

Job, qui ævo quoque ſuo tot videbat in ſapientiſſimis etiam hominibus errores, & vitia, ubique ſapientiam requirebat, quam nullibi invenire poterat. *Sapientia ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?* Job 28. Numquid in aula Principum, atque inter optimates? Hi ſoluti videntur ſpiritus, qui rebus in omnibus acuuntur, qui in conſiliis omnia in ſuam convertere norunt utilitatem, atque iis viis, quæ aliis ignotæ ſunt, tuto ad fines ſuos pervenire. Ibi quærenda ſapientia non eſt. Illi nimium ſuas depereunt voluntates, luxum, comeſſationes, ſolatia, vitam ſuavem, & voluptuoſam, quæ cum ſapientia ſimul eſſe non poteſt: *Non reperitur in terra ſuaviter viventium*.

Noſmet igitur convertamus ad mare; illi fortaſſe, qui utrumque mundum viderunt, qui omnium gentium noverunt mores, qui exoticas quotidie merces afferunt, hi beatiores erunt, & aliquid de ſapientia nobis enarrabunt. Sed non ita. *Abyſſus dicit: Non eſt in me; & mare loquitur: Non eſt mecum*. Iſta igitur fortaſſe hæc ima reliquit, ſeſe recepit in cœlum; cœli aves, curioſi, audaceſque ſpiritus, qui ſeſe attollunt, qui volant, atque in ſublime feruntur, ut propius cœleſtia conſiderent, qui de religione diſceptant: ſed heu! Neque id genus hominibus ſapientia ſecreta ſua detegit: *Volucres quoque cœli latet*. Ubi hæc igitur ſapientia eſt? Ne id ex mortalibus quæſieris: *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium*. Deus unus eam novit, ille unus hanc reſpicit, in illo moratur, & requieſcit. *Pater Catillon in ſermone quodam Adventus*.

Mundi hujus ſapientia ſtultitia eſt.

Sapientia hujus mundi, Sanctus Paulus 1. ad Cor. 3. inquit, *ſtultitia eſt apud Deum*. Stultitia eſt, quia in pretio res habet inanes, & contemptibiles, atque induſtriam in id collocat ſuam, ut minuta conſectetur lucella, quæ illi exhibet mundus: ſtultitia eſt, quia mundum tantummodo ſcit, & ignorat Deum, qui unicum illius eſſe deberet objectum: *Ignorat Deum, quam ſemper deberet inquirere*, Sanctus Ambroſius inquit: ſtultitia eſt, quia pro hoc tempore tantum laboribus exercetur, cumque tempus tranſierit, quid reliquum eſt laborum ejus? Dei ſapientia e contra, quæ, ut Sanctus Paulus ait, mundo ſtultitia videtur, de Deo tantum ſollicita eſt, ut illius poſſeſſionem acquirat: neſcit hæc politicas rationes, dolos, mundi verſutias, ſed ſcit Jeſum Chriſtum, ejuſque Evangelium, in tempore quidem laborat, ſed propter æternitatem, ubi ſuam nanciſcitur requiem. Duplicem hanc ſapientiam comparate; utra vera ſit, judicate, ſapientiane Dei, an illa, quam mundani ſapientiam appellant; illane, quæ huic mundo, temporique inhæret, an quæ ad Deum uſque, ipſamque æternitatem ſe attollit? *Idem*.

Vera ſapientia & prudētia Chriſtiana in hoc poſita eſt, quod via ſalutis eligatur.

Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico ait: *Eſt ſapiens animæ ſuæ ſapiens*. Nemo ſapiens, niſi qui omnes ſuas cognitiones, & lumina impendit ſaluti, & ſanctificationi animæ ſuæ. Eſto quidem, Sanctus Bernardus ait, par ſis regundis provinciis, in optimatum conſiliis præſis, & veluti oraculum undequaque conſularis; ajo tamen te in omnibus conſiliis tuis decipi, atque evaneſcere in cogitationibus tuis, ſi quid animæ tuæ præfers ſaluti; *Optimus rerum æſtimator eſt, qui nihil aliud ſibi præferendum putat*. Quotcumque præclaras cogitationes, quotcumque validas argumentationes conceperis, ſi tuæ oblitus fueris ſalutis, mortalium omnium imprudentiſſimus es, minime ſapiens, & minime perſpicax; in his enim nihil vere bonum, nihil laude dignum eſt, Sapiens ait: *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum*. Prov. 19. Credo equidem inter cæcos te tamquam mentis acie præſtantem videri; at Deus, qui non fallitur, per Iſaiam cap. 19. cogitationes tuas inanes eſſe teſtatur: *Cogitationes eorum cogitationes inutiles, opera eorum opera inutilia, & non eſt judicium ingreſſibus eorum*. Quam habere potes ſapientiam tu, qui reliquiſti Dei omnis ſapientiæ fontem, ut affectibus tuis obſequereris? *Pater Texier*.

At enim nemo inficias ibit inter eos, quos mundanos dicis, fortia inveniri capita, excultas mentes, litteratos homines, verbo prudentes, & ſecundum mundi mores, & ſæculi negotia ſapientes. Bene dicis ſecundum mundi uſum, ſed ſecundum Deum, qui veritas eſt, magnum ſpiritum vocas hunc fatuum, qui poſtquam in Eccleſia Jeſu Chriſti conſenuerit, nondum aliquod ex principiis ejus aſſequitur, & momentum præceptorum ejus ignorat? Forte caput vocas, qui in terrenis rebus eſt perſpicas, & qui in cœleſtibus cæcutit, & nihil audit, ubi de Divinis rebus accidit ſermo? Sapiens Spiritu Sancto repletus ſtultos, inſanoſque id genus mortales appellat: cap. 2. *Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo*. *Idem*.

Politici potius effectus ſuos quā prudentiæ lumina ſequuntur.

Invidia, ambitio, avaritia funeſtæ ſunt faces, quæ prudentiæ carnis prælucent in omnibus mundi conſiliis. Ad obſcurum, & fallax harum tædarum lumen volunt politici eas invenire vias, quibus uti debent, ut ſibi e voto cœpta illa contingant, quæ animi cupiditates ſuggerunt, poſtquam omnem extinxerunt lucem, quam ſana ratio, fides, Evangelium, & doctrina ſanctorum illis præferre poterant; non aliud admittunt lumen, quam quod mundi honor, familiæ utilitas, & ingenii ſui libido præbent. Si igitur ſapientes, atque prudentes ſunt, ideo ſunt, inquit Jeremias, ut malum operentur; nullam habent ſcientiam, aut dexteritatem, ut operentur bonum, & neſciunt prudentiam in hoc poſitam eſſe, ut juſtas ad laudabilem, honeſtum finem aperiat vias. *Idem*.

Quid ſit mundana prudentia, & mundi ſpiritus.

Noſtis, quid ſibi velit mundum ſcire, & prudentem eſſe ſecundum mundum; Hoc docet in moralibus ſuis Sanctus Gregorius hæc Jobi explicans verba; *Deridetur juſti ſimplicitas*. Mundum ſcire, eſt artem callere decipiendi, fallendi, mentiendi, mendacium pro veritate, & pro mendacio veritatem venditandi, eſt ſcire verborum ambagibus negotium ita implicare, & impedire, ut judices decem annorum labore illum expedire non valeant; eſt ſcire artem efficiendi, ut calumnia probetur, ac ſolida virtus contemnatur. Hoc eſt Sapientiæ mundi compendium. *Sapientia hujus mundi eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt; vera oſtendere, quæ vera, falſa demonſtrare*. *Idem*.

Mundana politica nunquā Dei gloriam conſiderat.

Hæc impia eſt, ac deteſtabilis politicorum conſuetudo, in conſiliis capiendis, atque deliberationibus ineundis nunquam Dei gloriam cogitare, ſed propriam tantummodo utilitatem, & non Evangelii dogmata, neque æternitatis conſilia, ſed ſæculi dumtaxat rationes ſpectare. Ad examen non revocant, utrum conatus ſui juſti ſint, nec ne, ſed utrum ſint utiles; ac in iis etiam, quæ bona ſunt, non eam reſpiciunt, quæ adeſt in ipſis, bonitatem, ſed eam, quam afferre poſſunt, utilitatem. Aliquod ſeſe illis munus offert? ſi inde multum auri, argentique hauriri poſſe videntur, non laborant, utrum in eodem Deo fideles eſſe queant. Aliqua ex parte beneficium, aut dignitatem ſe adepturos ſperant; non admodum ſolliciti ſunt, utrum liceat, an ſecus, ſed utrum appoſitum ſit, ut ad propoſitum ſibi finem perveniant. Si uxorem ducere volunt, diligentiſſime bona, genus, affinitates inquirunt, quod vero ad pietatem, animæ ſalutem, Dei voluntatem pertinet, hoc utique negligunt. *Idem in Dominicali ſermone de ſalute*.

Quid accidat cum prudentiæ regulas ſequimur vel ſecus.

Prudentia virtus eſt, quæ nos impeccabile facit, quamvis infallibiles minime faciat; quæ nos a peccato facit immunes, licet non ſemper ab errore tueatur; & quæ efficit, ut tunc bene agamus, cum re ipſa, &, ut ita dicam, materialiter male operamur. Quod intelligi debet, cum in dubiis, obſcuriſque rebus ſequimur prudentiæ regulas, nempe conſcientiam, Chriſtiana præcepta, proborumque virorum conſilia. Sed hominum plerique nunquam ferme deliberant, non rationem, non fidem in conſilium vocant, ſed ſe trahi naturæ motu, vel affectionum impetu ſinunt; ita ut, quemadmodum cæcos tantum duces ſequimur, mirum eſſe non debet, ſi millies in præceps labimur. *Idem*.

Inſipientes voco divites, & petentes ſæculi, ſi non cogitantes ſe pro cœlo, non autem pro terra natos in id omnes induſtriæ, ac ætatis nervos, contendunt, ut nutantem ſibi fortunam, prima quavis calamitate evertendam, conſtituant; ſi minime virtutum theſauros colligentes pro fluxis, ac perituris dumtaxat bonis laboribus exercentur ea ſervantes, quæ ſerius, ocyus deſerere debent. Inſipientes voco omnes illos, qui, uti Scriptura inquit, oculos habent, & non vident, qui pro aliis lumen ſunt, pro ſe tenebræ, qui curioſius ea, quæ extrinſecus ſunt; ſcrutantur, quin, quid in ſua agatur conſcientia, perquirant. *Ex moralibus ſermonibus*.

Quinam imprudentes, & inſipientes vocandi ſint.

Sapientia, de qua loquitur Salomon, non eſt illa polliticorum mundi, quæ poſita eſt in calliditate, ac dolo, ut delicatum aliquod negotium ſcite perducatur ad finem, ut ſuſcepta conſilia cedant e ſententia, ut difficultas aliqua expediatur, ut in laqueos impellantur ii, cum quibus res eſt, ut aliis os ſubliniatur, & quam diligentiſſime provideatur, ne ſibi fucus fiat. Hæc illa ſapientia eſt, quam Spiritus Sanctus diabolicam, & carnalem appellat; Dei autem ſapientia nos docet flocci facere fluxa, & peritura hujus mundi bona, ut æternis unice vacemus; animæ bona corporeis anteferre, carnem ſpiritui ſubjicere, ut ſupplicia quidem a Deo intentata evitemus, remunerationes vero, quas ſibi ſervientibus pollicetur, promereamur. Beatus, qui hanc nactus fuerit ſapientiam omnibus mundi theſauris pretioſiorem; qui vero temporalium divitiarum vanitatem, & inutilitatem cognoſcit, & qui omnia nullo habet in diſcrimine, dummodo acquirat ea, quæ temporis decurſu non pereunt, & quæ fures nequeunt auferre. *Abbas de Bellegarde in Salomonis Proverbia*.

Quænam ſit vera prudentia & quæ falſa.

Quam aliam ſequi debemus regulam, o Fideles, ut judicemus, deliberemus, agamus, præter veritates æternas? His principiis, atque inſtitutis noſmet conformare debemus, ne procul recedamus a fine, propter quam creati ſumus, & qui ſemper nobis ob oculos verſari debet. Si in id oculi ſemper eſſent intenti, neque aliunde conſilia perquireremus, ſi in hac libra omnia appenderemus conſilia, næ illa quidem ſemper eſſent æquiſſima, tot erroribus, lapſibuſque obnoxii non eſſemus, neque miſere in tot ſcopulos impingeremus. Deus nobis ſuum lumen effunderet, ut nos illuminaret; ac ſe nobis ſocium adderet, ut ſuffragaretur. Fides verum nobis rerum omnium pretium oſtenderet, ac periculum aperiret, prorſus Divinam ſapientiam inſpiraret, ſæpe in humanis quoque negotiis tranſigendis perutilem. Verum quid facimus, quid ipſi conſulimus; Profecto non Dominum, non Evangelium, non fidem. Quid ergo? prudentia prorſus carnalem, rationem cæcam, quæ omnia ſe videre putat, & nihil videt. Noſmetipſos in cauſa propria judices facimus; nobis tantum fidem habere volumus. Sinimus oculos noſtros perſtringi ſpecioſis quibuſdam fulgoribus, atque omnia nobis ex animo eventura ſperantes operi manum admovemus, ac noſmet periculo objicimus. Quid conſulimus? Mundum, mundi placita, mundi præjudicia, infeliciſſimas tot illuſionum, ac ſpecioſarum illecebrarum, quæ præcipites in errorem nos agunt, origines. Quid conſulimus? animi ægritudines, inexplebilem avaritiam, quæ nos devorat, ac ſemper mentem noſtram prævertit, ut, quod nobis utilius eſt, amplectamur, immoderatam ambitionem, quæ nos ſtimulat, atque ſemper ad honorum apices impellit; amaram iracundiam, quæ nos animat, ac ſemper ultionis cupiditatem irritat; noxiam libidinem, quæ efficit, ut malas voluntates conſectemur. Hoc noſtrum conſilium eſt, hi conſiliarii, hi domini. *Pater Girouſt in Adventu, ſermone de fide*.

Quomodo ſeſe plerique gerunt mortalium? Salutis, ſuperque conſiliorum, deliberationum, ſedulitatis, diligentiæ, ut in mundo niteant, ut commodam, ac opulentam ſibi conditionem procurent, ut agros, & prædia ſibi comparent, ut immodicis ſumptibus indumenta, ſupellectilem, ſervorum familiam, ſolatia, ludoſque alant, & nutriant. Hic primus, vel ut melius dicam unicus finis eſt, propter quem tot fiunt conatus, tot conſultationes habentur; propter hunc tot perferuntur labores, tot ſubeuntur pericula, tot traducuntur maria, itur, redditur, vigilatur, laboratur &c. Verum ut ſaluti conſulatur, quid capitur conſilii &c. *Idem*.

Deus evertit falſæ prudentiæ conſilia.

Sciam equidem, Dominus ait, hæc adeo male inita conſilia exſufflare, & diſſipare; illa nonniſi in veſtrum excidium, veſtrumque caput relabuntur. Confundam prudentes ſæculi; tradam illos in ſenſum ſuum; ſinam illos in tenebris ambulare, ac ruere in abyſſum, unde nequibunt emergere ..... Hoc quotidie videmus, atque experimur. Perperam conſilium capitur, idque non ſine propriæ conſcientiæ detrimento, & Deus ſuum adjicit etiam pro terrenis hiſce rebus maledictum; omnia evertit, ac deſtruit. Millies ſapientior, atque beatior ille eſt fidelis, qui ſingula, ut Chriſtianum decet, revocat ad examen ad Deum confugiens, atque animum advertens iis rebus omnibus, quas Deo placuerit ipſum edoceri; Evangelii dogmata audiens, iiſque in omni vitæ ratione auſcultans; hæc omnibus actionibus ſuis applicans, ut vero, certoque judicio ea, quæ licent ab iis, quæ vetita ſunt, & quæ decent, ab iis, quæ minime decent, diſcriminet; erudiri cupiens, atque ad id legis doctores conſulens; denique nihil faciendum ſuſcipiens, niſi prius, uti David, exploratum habuerit, utrum hoc velit Deus; Dominique præceptis utens tamquam ſpeculo, ad quod omnia componat, quæcumque animus proponit, atque ut tuto ea in praxim redigere valeat. Non minima fidei, & religionis noſtræ utilitas eſt, habere regulas, quæ ſeſe ad ſtatus omnes exten-

extendant, atque ad omnes diſpoſitiones, quibus affici poſſumus, ut nulla occaſio ſit, ubi nequeamus, & ubi prudenter, & Chriſtiane agere non debeamus. *Idem*.

Prudens rationem, non affectum conſulit.

Prudentia rationis effectus eſt, ideoque quicumque inconſulto effectus ſuos audit, eiſque obſequitur, prudentis nomen non debet mereri, niſi fortaſſe carnalis prudentiæ, quam Sanctus Paulus Dei inimicam appellat, quia detrectat ſeſe ſubmittere primæ legi Dei, quæ ratio eſt, ſed ducem ſequitur ingenium ſuum, amorem proprium, propriamque libidinem. Perfecta prudentia, quæ Chriſtiana prudentia eſt, Deum in deliberationibus conſulit; primæ hujus veritatis monita ſequitur, atque ſemper ante cætera Divinam conſulit voluntatem . . . . . Docet autem experientia, omnes hos pſeudoſapientes ſæculi in deliberationibus ſuis nunquam ſeſe ad Deum convertere, neque unquam illum in conſilium accerſere. Nunquam in id intendunt oculos, quod lex Dei præcipit, quod ad illius gloriam refertur, quod proximi charitas, juſtitia, & veritas exigunt; ſed id unum, quod ipſorum intereſt, vel quod libidinem eorum poteſt explere. *Pater Texier in Dominicali, Sermone pro octava poſt Pentecoſten Dominica*.

In Sapientiæ cap. 2. videte omnes hos mundi politicos, qui ſimul coeunt, ac fœdus ineunt, ut perdant innocentem, ac virum bonum opprimant; qui calumnias comminiſcuntur, ut honori illius nebulam offundant; qui lites eidem intentant, ut ejus rapiant bona, & qui extrema quæque audent, ut illi interitum inferant. *Circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Contumelia, & tormento interrogemus eum, morte turpiſſima condemnemus eum*. Quænam ſecreta eſt cauſa, propter quam hæ omnes artes excogitantur ad innocentem virum perdendum, & opprimendum? Invidia, quam concipiunt homines virtutem intuiti; dolor, eo quod ille ſuis non ſit obnoxius infirmitatibus; quod ille contemnit, quæ ab ipſis habentur in pretio; quod eorum impietatem perhorreſcit, atque vivendi ratione prorſus oppoſita efficit, ut magis eorum flagitia eluceſcant . . . . . Hac de cauſa Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico declarat, a ſe longe majori in pretio haberi ſimplicem virum, cui nullus ineſt dolus, ut fallat, atque decipiat, quam acutiſſima ingenia, quæ non ſine conſcientiæ ſuæ detrimento, & cum Divinarum legum contemptu, per fas, & nefas, quodcumque conantur, evincunt. *Idem*.

Carnis prudentia contraria eſt fidei, & Evangelio.

Mundus nihil habet fidei, & Evangelio magis oppoſitum, quam carnis prudentiam, ſupernamque ſapientiam, de qua politici, & ſapientes mundi gloriam; hanc, inquam, ſapientiam, quæ nihil eſt aliud, quam ſuperbia, diſſimulatio, dolus, & cæcitas. Infelix iſta ſapientia perdit quamplurimos, qui in ſpeciem quidem vitam frugi ducentes, ſocietatis officia ſedulo obſervantes, externam virtutis praxin exercentes, & famam proborum hominum a carnalibus, gravioribuſque flagitiis abhorrentium adfectantes alunt in corde phariſaicam prudentiam, ac fermentum, quod totam animæ ſubſtantiam corrumpit. Ideo Jeſus Chriſtus ab ipſo nativitatis exordio pueri ſimplicitatem inani, & cææ huic oppoſuit prudentiæ. Poterat ille quidem inter homines prodire, quin per infantiæ gradus traduceretur, & ſine ulla puerilium infirmitatum nota; ſed docturus erat pſeudoprudentes ſæculi, quomodo ſancta præſepis, & crucis ſtultitia inſanæ eorum ſapientiæ erat præferenda: ideoque per Prophetam ſuum inquit; *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Docebo illos Chriſtianam infantiam, religioſam ſimplicitatem, humilem ignorantiam, docilem obedientiam meliorem eſſe omnibus ratiociniis, ſpeculationibus, ac diſcurſibus Philoſophorum. Hinc ille paſtoribus ſe primum manifeſtavit, quos nativitatis ſuæ teſtes haberet; quemadmodum poſtea piſcatores elegit, ut eſſent Apoſtoli, ac teſtes ſuæ reſurrectionis. *Specimina ſermonum pro Adventu pro die Nativitatis*.

Hic fons eſt tot errorum, quos in deliberationibus ſuis homines committunt; ſed plerumque in primo Ethicæ Chriſtianæ principio deficimus, quoniam pro fine temporalem nobis proponimus utilitatem, quin hanc referamus ad Deum. Quidquid recta ad hunc redigitur finem, perplacet; quidquid ab eadem abhorret, quam alioquin egregium ſit, faſtidit, & diſplicet. Aliquis hæc ſecum: ſi iſtud amplector conſilium, ſi hoc negotium amplector, ſi hac in re pecuniam colloco, ingens profecto lucrum inde percipiam, quod facile, brevi, ac ſine ullo periculo me locupletabit. Ita ſane; ſed dicit Deus; eos homines, qui adeo callidi ſunt, ut brevi diteſcant, innocentiæ ſuæ jacturam facere tot, brevi temporis ſpatio, divitias congregantes: *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*. Prov. 28. Attamen hoc mihi percommodum eſt; hæc votorum meorum ſumma; conſcientia ne agatur, an ſecus, nihil intereſt; jam captum eſt, jacta eſt alea: ceſſandum non eſt. O deteſtabilem conſuetudinem! Fideles antequam aliquod capiatis conſilium, quæcumque ingruat occaſio, primum quidem coram Deo intentionem veſtram probate, vobiſque ſolidum finem proponite. *Maimburg, ſermone pro feria ſexta poſt Paſſionis Dominicam*.

Mundana prudentia omnes conſcientiæ ſtimulos ſuffocat.

Videt aliquis ſibi offerri beneficii alicujus occaſionem, quod hoc pacto ſeſe gerens acquirere poſſet; videt etiam ſe brevi temporis intervallo inſignem quæſtum eſſe facturum, ſi quibuſdam propoſitis conditionibus dat mutuam pecuniam; avaritia, & ambitio ſtatim facili, ac naturali motu animum jam pronum impellunt. Verum ne feceris, inquit conſcientia; non deeſt fœnus, ſimonia, injuſtitia; ſed fortunæ brachium tendenti deero? Hic igitur finis eſt; hæc cæcitas, quæ in mediorum electione invenitur; ſi minutos hos ſcrupulos moratus fuero, ait, qui ingentibus cœptis adverſantur, niſi contra inania hæc conſcientiæ terriculamenta animum obfirmavero meum, atque ad ſuperſtitionem uſque religioſus fuero, aufugiet occaſio, quæ ſemel amiſſa ultra non revertetur. Agamus, quod intereſt; non deerit mox prætextus aliquis, & color, quo coram hominibus factum defendere valeam; neque deerit ratio, qua tandem, utili quadam conventione, conſcientiæ quoque abunde conſulam. Hæc vera eſt locupletandi via, & hæc tandem fit exitii cauſa. *Idem*.

Peculiaris mundanæ hujus ſapientiæ character eſt in ſcelere obdurari, & a nefariis conſiliis nunquam recedere, quodcumque in oppoſitum illi effulgeat lumen; necnon ſemper fines ſuos conſectari. Hoc palam hodie in Chriſtianis, idque omnibus in occaſionibus videtur. Ex quo aliquis ſibi utilitatem exempli gratia pro fine propoſuit, hanc tanta animi aviditate perquirit, ut non lex, non conſcientia, non ratio, non Evangelium, non religio, non cogitatio aliqua prohibere valeat, quominus per fas, & nefas utilia quærantur. Utique in politicorum conſiliis, etiamſi illinc religio pugnet, hinc avaritia, nullus dubitandi locus eſt, quominus huic victoria adjudicetur &c. *Idem*.

Mundanæ prudentiæ proprium eſt in ſcelere obdurari.

Meminerimus, quid Dei Filius dixerit; filios ſæculi in terrenis negotiis tranſigendis eſſe prudentiores, quam lucis filios in iis, quæ ad ſalutem pertinent. Qua in re monitos vos volo, ad hoc ut conſilia veſtra optime inſtituatis, ac ne in re tanti momenti erretis, vobis pro ſpirituali bono id tantum eſſe faciendum, quod politici agunt pro temporali. Videte quid agant. Certum, tutumque ſibi conſtituunt finem. Statuenda eſt, atque certa facienda, inquiunt illi, noſtra fortuna: & huic innixi fundamento ſuperædificant, & cogitant, quomodo actiones ſuæ cum propoſito fine conſentiant: cumque captum fuerit conſilium, illud exequi dumtaxat ſatagunt, & in id omnem ita operam navant, ut nunquam deſiſtant, niſi prius voti fuerint damnati. Hoc ipſum agamus; ante cætera ſolidum finem, & unice neceſſarium, quem habere opus eſt, conſtituamus; atque primum quidem pro principio, atque fundamento ſtatuamus opus eſſe, ut ſalvemur, & ſecundum oraculum ex ipſa profectum ſapientia nihil homini prodeſſe, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. His poſitis videamus, quanam inſiſtendum ſit via, ut ad finem hunc perveniamus, ac nobiſmetipſis dicamus: *Quid facimus*? Quid facimus, ut magnum iſtud conſilium expleamus? Ad quid totius vitæ noſtræ cogitationes referuntur? ad quid exiguum hoc impendimus temporis ſpatium, quod nobis largitus eſt Deus, ut tanti momenti negotium procuraremus? . . . . . Proh Deus! ut inordinatæ cupiditati ſatis faciamus, ut honoris umbram aucupemus, ut hominis gratiam captemus, ut parvi momenti lis nobis adjudicetur, pro nugis, pro ineptiis; *Quid facimus*? Vel potius quid minime facimus? Ulluſne labor eſt, ſumptus, ſollicitatio, cura, quam miſſam faciamus? At propter cœlum, propter æternitatem: *Quid facimus*? Omnia nos morantur, faſtidimus omnia; & leviſſima quævis difficultas nobis obex eſt non ſuperabilis. Ubi mens eſt, ubi ratio, ſenſus, prudentia, judicium? Nunquid rationis eſt compotem eſſe hoc modo operari. *Idem*.

Mundi ſapientia eſt oppoſita ſapientiæ Jeſu Chriſti & habet principia prorſus contraria.

Neceſſe non eſt oſtendere, quantum ab Evangelii ſapientia mundus adhorret: ſcire ſatis eſt, illum uſquequaque pravis cupiditatibus eſſe corruptum, atque ſolum hoc nonniſi tenebras proferre poſſe. Spiritus illius falſis tantummodo judiciis, inſaniſque argumentationibus fœcundus eſt, quæ nonniſi fallacem, diabo-

diabolicamque ſapientiam, quemadmodum illam vocat Apoſtolus, poſſunt efficere. Satis patet mundum, cum propriam habere velit religionem, hanc ſibi pro libidine concinnare, ſibique eas, quæ ſibi maxime arriſerint, leges præſcribere. Ex his autem ſimulationibus quod prodire poteſt, niſi prudentia inimica Jeſu Criſti, & Evangelii, atque *ſapientia carnalis, & animalis*, quæ tuetur omnium voluptatum libertatem contra Crucem Jeſu Chriſti; quæ approbat injuſtitiam alieni boni retinendi contra illius paupertatem, & quæ ambitionem fovet contra ejuſdem humilitatem? Ecce quo tota redit mundi ſapientia, quæ proprie loquendo non aliud eſt, quam ſchola erroris, atque aperta inimica ſapientiæ Evangelii, & veritatis, quam Jeſus Chriſtus edocuit. *Sarazin tomo ſecundo Adventus Sermone de Sancto Joanne*.

Qui fidei lumina ſequitur hic vere ſapiens eſt.

Chriſtianus, qui fidei lumina ſequitur, ſapiens, & prudens evadit propter juſtum, æquumque ſenſum, quem nobis tradit de mundo, mundique bonis hominum affectus ſibi captivantibus. Etenim cum maximus error, & religionis ſanctitati maxime nocuus ſit falſum judicium, quod de divitiis, honoribus, & voluptatibus fertur, cumque oporteat earum rerum veritatem exploratam eſſe, atque compertam, fidem unam habemus, quæ illis perſonam auferat, & quæ hæc omnia nobis exhibeat, qualia re ipſa ſunt: ita ut hæc prohibeat, ne fidelis inani eorum ſpecie fallatur, neque ea vera putet bona, ideoque amanda, & conquirenda. Quis ambigit, utrum fides nobis hanc auferat faſcinationem, ideoque, utrum illi debeamus cognitionem eorum, quæ credenda, faciendaque, ſine qua Chriſtiana religio merum eſſet politicæ inventum? *Idem, tom. 1.*

Pſeudoſapientia exteriorē virtutis habitum affectat, & gloriam aucupatur.

Quædam ſapientia eſt, quæ mera coram Deo eſt ſtultitia, quæ inane eſt phantaſma pietatis, vel exterior ſpecies quædam, quæ ſedulo religionis externum habitum præfert, cum hic prodeſſe poteſt, ut e voto noſtra cedant conſilia, & quæ haud hæſitanter ſacerrimas leges infringit, ubi noſtris cupiditatibus adverſentur: quæ jugiter dolos nectit, arteſque excogitat, ut virtutis auram cum ipſa criminis dulcedine tueatur; quæ ad mundum refert quidquid propter Deum ſe facere ſimulat, & quæ poſtquam fallaci lumine ſuo nobis perſuaſit, ut nihil habeamus antiquius quam hujus mundi felicitatem, neceſſaria ex hoc principio illatione nos cogit, ut omnia mundo, ac nobiſmetipſis ſacrificemus. Hæc Sapientia Dei inimica eſt, inquit Apoſtolus ad Rom. 8. & omnes religionis leges evertit: *Sapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjecta. Ex ſpecimine orationum panegyricarum, panegyrico Sancti Ignatii*.

Vera ſapientia, & prudentia Chriſtiana.

Non deeſt vera ſapientia, quæ ſecundum fidei principia tantummodo operatur; quæ omnia ſocietatis officia ad illa Chriſtianæ religionis referens, fideliter illis defungitur, quin negligat iſta; quæ nunquam recedit a medio, quod rite ſervandum eſt inter exceſſum relaxationis, vel ſeveritatis, rigoris, vel indulgentiæ, quod Chriſtiana charitas ab omnibus exigit; & quæ ex rebus omnibus aliquem referens fructum, omnia ad Dei gloriam, noſtram ſanctificationem, fratrumque ſalutem traducit. Videtur non admodum difficile eſſe hanc prudentiam acquirere, poſtquam mundi Salvator illius nobis principia reliquit adeo ſolide in Evangelio ſuo conſtituta, docens cæcam oraculis fidei ſubmiſſionem; mandatorum, & conſiliorum fidelem exercitationem; juge ſuaviſſimarum cordis affectionum ſacrificium; verum earum rerum omnium, quæ ſenſus alliciunt, & in ſæculo nitent, ac placent, contemptum. Hæc ſunt Chriſtianæ prudentiæ inſtituta, quæ omnibus conveniunt hominibus, & quæ in omnibus Evangelii paginis ſatæ leguntur. *Idem*.

Omnes ſe prudentes jactitant, verum neſcio utrum aliqui minus unquam prudētes fuerint, quam horum temporum Chriſtiani.

Omnibus temporibus homines prudentiæ laudem adfectarunt; nemo unquam extitit, qui fateri vellet, ſe prudentia vacuum; ſeu tanta ſit gloria ſapientem haberi, ut illam abdicare pudeat; ſeu adeo turpe ſit non eſſe prudentem, ut hoc fateri idem ferme ſit, ac fateri ſe hominem non eſſe. Quomodocunque ſit, dicere poſſumus ex omnium virtutum numero præ reliquis univerſe unam hanc maxime adfectari, hoc vero præſertim ſæculo, quod ſapientiæ ſæculum dicitur, & quo quivis boni ſenſus, ac rationis regulas ſe cognoſcere, & diligentiſſime ſequi profitetur. Fateor equidem præter acumen, quo ſcite de editis in qualibet ſcientia voluminibus judicium fertur, fateor inquam, negotia nunquam majori, quam ætate hac diligentia tranſacta fuiſſe; mirum eſſe quot ſingulis diebus reperiantur viæ ad propoſitum finem aſſequendum: qua ſolertia ea tegantur machinamenta, quæ ad illum obtinendum adhibentur, & qua arte, & dexteritate adhibentur . . . . Verum tantum abeſt, quod hinc inferendum ſit, nos hodierna die admodum rationabiles, ac prudentes eſſe, ut mihi videatur nulla afferri poſſe magis aperta ad oppoſitum probandum argumentatio. Tandem enim liquido conſtat hanc illam eſſe, quam carnis prudentiam Sanctus Paulus appellat, quæ, cum eodem Apoſtolo teſte ſit Dei inimica, facere nequit, quominus ſpiritus prudentiam evertat. *P. de la Colombiere tom. 3. ſermone* 59.

Vir ſecundum mundum ſapiens ſtatim ac aliquid cepit conſilii, oculos circumferens undique dignoſcere quærit, quinam ſibi obeſſe, vel prodeſſe valeant, ut illos in ſuas, ſi fieri poſſit, partes trahat. Attamen de Deo, ſine quo homines nec obeſſe poſſunt, nec prodeſſe, ne cogitatur quidem; de Deo, qui ſolus momento reparare poteſt afflictiſſimam quamvis fortunam, ac florentiſſimam perdere: qua in re eo imprudentiores ſumus, quia non ignoramus illum mirum in modum gloriæ ſuæ zelotem eſſe; & quemadmodum oblectatur eos tueri, qui ad ipſum confugerunt, ita ſolere inanem eorum confundere confidentiam, quam alii in ſua habent ſapientia. Ideo ille *reprobat conſilia principum*. Pſalm. 32. non quod reprobet reges in illius tutelam ſeſe recipientes, ſed quia cum illis non deſint plurima humana ſubſidia, infrequentius, quam cæteres, ad Deum confugere meminerunt. *Idem*.

Mira cæcitas eſt inire conſilia conſcientiæ contraria.

Hæc mira eſt mundanæ politicæ cæcitas, vel potius cumulus ſtultitiæ. Ut temporalia negotia ſibi cedant e ſententia, artibus utuntur Deo palam oppoſitis: credunt ſe votorum ſummam conſequi poſſe Dei gloriam lædentes, eumque tanquam adverſarium provocantes: Hoc agit non ille ſolum politicus, qui religionem reipublicæ utilitati cenſet poſthabendam, aulicus, qui dolis, ac verſutiis fortunam ſuam debere gaudet, Judex, qui amicos ſibi conciliare cupit, alios miſeros efficiendo; verum etiam mercator, qui diteſcere feſtinans, vel etiam, ſi mavis, victum ſibi comparaturus, feſtis quoque diebus ultro, citroque commeantibus merces diſtrahit; & fallaci pondere, atque menſura vendit, qui bonas malis merces commiſcet, qui mentitur, & pejerat, ut plus æquo lucretur; artifex, qui feſtis operatur diebus; ſervus qui fidelis non eſt. Et profecto credimuſne per hujuſmodi vias illuc pervenire nos poſſe, quo tendimus? Fierine poteſt, ut mens humana aliquid ſe, non adjuvante ſolum, verum etiam invito Deo, facere poſſe præſumat? Idne patieris Deus! qui ſubvertis eorum conſilia, qui in propriis viribus confidunt, favebis eorum conatibus, qui te lædunt, ut cupiditatibus ſuis ſatisfaciant? benedices conſiliis, quæ vetas, & quæ te dedecore afficiunt? Quinimmo hæc omnia conſilia in illos convertet, qui utuntur illis, de illis per ipſos ultionem ſumet, & efficiet, ut in proprio ſcelere ſuum nanciſcantur ſupplicium. *Idem*.

Qua conditione liceat humanis uti conſiliis, & prudentia, cū qua illis utendum ſit.

A Chriſtiana religione nequaquam humana prudentia in negotiorum veſtrorum cura proſcribitur, & fas eſt omnibus humanis uti rationibus, quæ nulla in re Dei legem infringunt. Verum illud unum quam diligenter præcavendum eſt, ne omnis in rationibus hiſce confidentia conſtituatur; ita ut ad Deum omnibus in occaſionibus confugere negligatis. Vellem, ſaltem hæ curæ cœlum inter, ac terram dividerentur. Interdiu, noctuque animo veſtra verſatis negotia; non abnuo prudentiæ opus eſſe illis proſpicere; ſed memento, quid moneat Sapiens: *Prudentiæ tuæ pone modum*. Proverb. 23. Prudentiæ huic fines ſtatuite, aliquid de jugi hac ſollicitudine remittite, in preces traducite partem hujus temporis, quod in conſulendo, atque deliberando tranſitis. Oratio hæc, quæ nullam cum negotiis veſtris rationem palam habere videtur, non minus quam prolixæ conſultationes, illis eſt profutura. Munera illis affertis, qui vel auctoritate, vel opere vobis opem ferre poſſunt; ſi pauperibus erogaretis partem eorum, quæ viris hujuſmodi elargimini, munera profecto majorem vim obtinerent; pauciores in terris ſuffragatores quærite; & aliquem vobis in cœlo patronum comparate. *Idem*.

Præſertim de ſtatu amplectendo deliberandū eſt; ibi potiſſimū opus eſt prudentia.

Cum deliberavit aliquis de eo vitæ ſtatu, quem elegit, ſecum ille reputavit, utrum honeſtus eſſet, utrum honeſtum ſibi ſuppeditare poſſet victum, utrum nimiam aſſiduitatem, laboremque perquireret; at cogitavitne utrum illius officia ſine noxa obire poſſet, utrum in eo conſcientiæ ſuæ aliquid eſſet metuendum? Filius in Eccleſiaſticum ſtatum impellendus eſt: ſtatus hic nihil nimis operoſum habet; immo facile præbet, unde lautius vita ducatur; ad ſummas etiam dignitates in eo patet aditus; tandem ille gravis non erit familiæ, ut primogenitus fiet locupletior. Verum ille ad ſtatum hunc non vocatur, immo indolem habet, ac ſtudia a ſtatus illius ſanctitate abhorrentia, periculum eſt, ne pereat, ſed hæc nullo in diſcrimine haben-

habentur; diceres; ſalutem chimeram eſſe, obtineri, quin ne animus quidem illi advertatur; hanc vel negotium non eſſe, vel negotium hoc ad nos minime pertinere. *Idem.*

In ſalutis noſtræ negotio prudẽtia opus eſſet.

Quid prodeſt, Fideles, nos a Deo ratione donatos fuiſſe, ſi hæc nobis inutilis eſt uni illi rei, propter quam donati fuimus, videlicet ut cœlum acquireremus? Heu! utimur, ut ita dicam, ratione, illam atterimus, abſumimus in puerilibus nugis. Ibi nos doctos gloriamur, ubi de nulla re agitur, quilibet honori ſibi vertit, aliis conſilia præbere, & rebus in omnibus non vulgarem prudentiam oſtendere; attamen in eo, quod caput eſt, deficimus, & cum agitur de æternitate, diceres, nos communi etiam ſenſu deſtitui. Hoc ſatis eſt, & ſuper ad vobis auferendas fallaces eas præventiones, quæ vos tanto periculo objiciunt. *Idem.*

Unio ſimplicitatis cum prudentia.

Hoc nobis conſilium tradit Jeſus Chriſtus, ſerpentis videlicet prudentiam cum columbæ ſimplicitate eſſe conjungendam. Simplicitas cordis, quod Deo placere quærit, frangit conſilia dæmonis, & amoris proprii, qui nos in malum pellicere ſtudent: ſed pro ejus boni electione, ad quod noſmet ferri intelligimus, magna nobis eſt opus prudentia, eaque maxima eſt proprium ſenſum non ſequi. Nihil illuſioni minus obnoxium eſt, quam humilitas, & obedientia. Judicium proprium eſt dæmon meridianus, qui ſe lucis angelum ſimulat, ut nos præſertim, ubi de fide agitur, fallat: & in myſteriis Divinis ſimplicitas ſpiritus, & cordis affectio longe præſtant menti nimis perſpicaci cum ſuperbo corde conjunctæ. Prout charitas deſtruit amorem proprium, efficit, ut in anima creſcat hæc Divina prudentia, quæ illam docet verum bonum ab apparente ſecernere; id enim, quod bonus videtur zelus, re ipſa talis ſemper non eſt: cum plurimum habeat ardoris, modicum vero luminis, majus efficit malum, quam quod prohibere poteſt; & hoc malum tanto majus eſt, quo magis bono ſe agi motu arbitratur. *P. Dozenne in libro, cui titulus: Moralis Jeſu Chriſti capite extremo.*

Prudentia prima eſt neceſſaria qualitas, ut quævis negotia nobis accidãt e ſententia.

Ut magni aliquod momenti negotium nobis accidat e ſententia, non paucæ requiruntur qualitates; mentis acumen requiritur, ut opportuna inveniantur conſilia, ſed neceſſarium quoque eſt judicium ad eadem ponderanda, antequam iiſdem utamur. Deinde calore opus eſt, ut capiantur, ſed non minus moderatio neceſſaria eſt, ut eæ omnes menſuræ, quibus eſt opus, ſerventur, & perſpicacia mentis, ut omnes effectus prævideantur. Si fortitudine opus eſt ad labores, & difficultates ſuſtinendas, & patientia ad exitum præſtolandum, nonne intellectu quoque opus eſt, ut de mediis eligendis deliberetur, & dexteritate, ut rite adhibeantur? Ita ſine prudentia nihil unquam e voto contingere poteſt. Alicui ſatis erit caloris, ut negotium aliquod aggrediatur, cui ſatis non erit frigoris ad præcipitem quemlibet feſtinationem inhibendam; unde accidit, quod diligentia in importunam migrat feſtinationem, & acumen in deſideriorum ſuorum impedimentis corrumpitur. Alter ſatis habebit ingenii, ut ea inveniat omnia conſilia, quæ ad agendum erunt neceſſaria, cui non ſatis erit prudentiæ, ut illa ſcite dijudicet, ac illis utatur. Alius ſatis erit perſpicax, ut negotii alicujus progreſſum prævideat, qui ſatis non erit, ut eventum præſentiat. Quoſdam intueberis in theoreticis admodum gnavos, qui in practicis erunt ignavi; alios, qui recta capient conſilia, ſed eadem exequi non poterunt; alios, quibus non deerit diligentia, ut bonas arripiant occaſiones, ſimulac ſeſe offerent illis, quibus deerit judicium, ut illis utantur: huic ſatis animi eſt, ut difficillimum quodlibet aggrediatur, non ſatis conſtantiæ, ut in eo perſeveret. Hæc cauſa eſt, propter quam paucis perfecte e voto cedunt negotia propter alicujus neceſſariæ qualitatis defectum; ſed qui vere prudens eſt, poſtquam & omnia inierit conſilia, omneſque acceperit præcautiones, quas neceſſarias putat, eventum providentiæ committit ſciens, nihil præter voluntatem illius, cui ſe totum ſubmittit, accidere poſſe. *Liber, cui titulus: Conduite du Sage dans les differens etats.*

Prudentia in muneris noſtri exercitatione, ac ſtatus officiis debet enitescere.

Quemadmodum in muneris noſtri exercitatione, & ſtatus, quem ſumus amplexi, obeundis officiis potiſſimum prudentiæ defectus eniteſcunt, ita in his maximus eſſe debet uſus prudentiæ Chriſtianæ; qui enim, ut Chriſtianum decet, vitam vult inſtituere, munus ſuum neque conſiderat, neque exercet, niſi tamquam medium aliquod ad ſalutem operandam ſibi traditum a Deo, non autem tamquam inſtrumentum ad ſe quidem damnandum, ad illum vero lædendum; ita ut eodem perfungens potius, ut placeat Deo, quam ut hominibus ſatisfaciat, abhorret ab humanæ politicæ placitis, atque dolos, & verſutias Evangelicæ prudentiæ toto cœlo oppoſitas deteſtatur. Immo neque prætermittit quidpiam, quod juſtis intentionibus ſuis velificetur; ideoque cavet quam diligentiſſime, ne in eos impetus erumpat, qui perſonæ, ac dignitati ſuæ poſſent officere. Omnibus actionibus ſuis, Sanctus Chryſoſtomus inquit, oſtendet, ſe intra veræ prudentiæ cancellos conſiſtere, ac ſerpentis prudentiam imitatus paratior erit bonorum, exiſtimationis, nominiſque jacturæ ſubeundæ, quam conſcientiæ ſuæ irretiendæ, & aliquid contra Dei honorem peccando; quemadmodum ſerpens non metuit totum corpus ſuum in diſcrimen adducere, dummodo caput, vitæ principium, tueatur. *P. Haineuve tomo quarto de Ordine ſermone* 22.

Prudentia exigit, ut deliberetur, antequam alicujus momẽti negotium ſuſcipiatur.

Antequam momenti alicujus negotium aggrediamur, jubemur a prudentia nobiſcum, cum aliis, & præſertim cum Deo deliberare, ne temere noſmet illi implicemus, ac deinde nos id aggreſſos fuiſſe pœniteat. Itaque prudentia, quæ nihil inconſulti faciendum ſuſcipit, ſemper in conſilium rationem æque, ac conſcientiam accerſit, antequam quidquam conſilii capiat; etenim ſatis non eſt illi, Sanctus Bernardus inquit, fas eſſe aliquid, ut illud aggrediatur, ſed exploratum ſibi eſſe vult, utrum ſibi expediat, ac utrum deceat, & quemadmodum qui prudenter agere vult, propria doctus experientia cognoſcit ſe fortaſſe magnis eſſe obnoxium erroribus ubi ſe ipſum dumtaxat conſuluerit, & nullam certiorem eſſe prudentiam, quam de propria prudentia diffidere; illum non pudet, ab aliis edoceri, alienaque potius, quam ſua ſequi conſilia; ac tandem cum ex Scripturis audierit, omnes hominum cogitationes errori eſſe ſubjectas, eorumque prudentiam, ac prævidentiam ſæpiſſime falli, ad Deum præſertim ſe convertit, ut ab eo ſua poſcat lumina, ejuſque ſuſcitetur voluntas. *Idem.*

Vera ſapiẽtia eſt rebus in omnibus Dei ſequi voluntatem, ubi innotuerit.

Cum fidelis in iis, quæ facit, id unum ſpectare debeat, ut Dei beneplacito obtemperet, atque illius expleat voluntatem, in omnibus deliberationibus hunc unum debet finem reſpicere. Debet igitur totum judicium, totamque diligentiam impendere in eligendis viis, quibus illuc facilius valeat pervenire, omnemque dexteritatem in repellendis obicibus, qui eidem poſſent obeſſe. Ideo ante cætera in id incumbere debet, ut hoc Dei beneplacitum agnoſcat, ac in id omnes perquiſitiones, ac meditationes impendat, jugiterque ob oculos æternam hanc habeat legem, ut ſeſe eidem conformet. Hæc tutiſſima eſt nunquam errandi ratio, dummodo ad illam exequendam æqua adhibeantur conſilia. *Idem.*

Mundi, ſpiritus eſt prudẽtia carnis.

Certum eſt mundi ſpiritum in hoc poſitum eſſe, ut triplici huic ſatisfaciat concupiſcentiæ, quæ peccati corpus conſtituit, & hominem prorſus carnalem efficit; quamobrem ſecundum Jeſu Chriſti, Apoſtolorumque loquendi rationem vivere ſecundum carnem, & vivere ſecundum mundum, unum & idem eſt; & qui præ cæteris melius vivunt, in Evangelio ſæculi ſapientes, prudenteſque appellantur. Hinc in œconomi infidelis parabola, cujus aſtum laudibus dominus ipſius celebravit, quaſi prudenter egiſſet, additur: *Filii hujus ſæculi prudentes filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Et quoniam quilibet ſuæ ſatisfacit concupiſcentiæ, cum fruitur bonis, honoribus, & voluptatibus hujus mundi, calliditas, qua ad illa ſibi comparanda mortales utuntur, illa eſt prudentia carnis, & mundi ſapientia, quam Sanctus Jacobus Apoſtolus *terreſtrem, animalem, & diabolicam* vocat, & quam *Dei inimicam* eſſe Sanctus Paulus teſtatur; quippe mundi ſectatores ſubdoli, verſutique ſunt, cum res agitur ſua, & cum eorum placita directe Evangelicis adverſantur inſtitutis. *Ex morali Chriſtiana in* Pater *lib.* 8. *ſect.* 4. *art.* 3.

Hipotypoſis pſeudoſapientiæ mundi oppoſitæ Evangelicæ ſimplicitati.

Nihil mirum eſt, ſi plerique boni, qui vitam ſuam ſecundum Evangelicas leges inſtituere conantur, a mundi ſectatoribus contemnantur, atque in ludibrium traducantur. Ita enim Sanctus Gregorius loquitur, cum hæc explicat verba, quæ in libro Jobi leguntur: *Deridetur mundi ſimplicitas*: oſtendit, Filiorum Dei ſimplicitatem, atque prudentiam prudentiæ filiorum ſæculi oppoſitam tamquam ſtultitiam, atque inſaniam traduci; *Mundi hujus ſapientia*, ait ille, *eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu a juvenibus ſcitur, hæc a pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt, hanc qui neſciunt; ſubjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perverſitas urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus credere, cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim, quod innocenter agitur, ab eis procul dubio ſtultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat.* Idem.

Mundanæ politicæ impietas.

Si intus, & in cute ſæculi ingenium explorabitur, liquebit non aliud eſſe quam dolum; quamobrem ſeſe invicem ſupplantare ſubdole homines quærunt: Hæc tamen calliditas ſpecioſo, honeſtoque vocabulo tegitur, & vulgo dicitur prudentia; & politica, cujus fundamentum eſt deteſtabile iſtud auctoris noviſſimorum ſæculorum placitum hujus ſcientiæ regulas præſcribentis: bonum eſſe virtutem ſpecie tenus acquirere, nullus enim inde fructus percipi poteſt; ſed periculoſam eſſe praxin illius, quippe quæ ut plurimum impedimento eſt, ne magna conſilia, ingentiaque cœpta fluant e ſententia. Hinc fluunt impia illa dogmata religionem publicæ utilitati poſthabendi; non laborandi de eo, quod juſtum eſt, ſed utilitatem unice inquirendi; ac demum non legem, non conſcientiam, non juſtitiam, ſed propriam dumtaxat rem conſulendi, qui ſcopus eſt finis, & ratio omnium deliberationum noſtrarum, & unica actionum norma. Impii, & deteſtabiles ſenſus, quos inſpirat, atque in praxim redigit mundana politica, & ſæculi ſcientia, quam jure Dei inimicam vocat Apoſtolus, quandoquidem religioni apertiſſimum bellum indicit. *Auctor Anonymus.*

Prava politicorum conſilia tandem in eorum excidium convertuntur.

Ut plurimum omnia politicorum conſilia, omneſque deliberationes in auctorum interitum vergunt. Pſeudo illi ſapientes Hebræi, qui cum apud Caipham conveniſſent, graviſſimum omnium ſcelerum decreverunt, mortem videlicet Filii Dei, & ne, ajebant illi, regnum ſuum perderent, oculos religionis conſiliis clauſerunt, regnum ſimul, & religionem, ut Sanctus inquit Auguſtinus, amiſerunt. Mors quippe Jeſu Chriſti cauſa fuit, propter quam civitas ipſorum æquata fuit ſolo, templum dirutum, populi internecione deleti, & natio univerſa in exilium ejecta, ac in omnes terrarum plagas diſperſa. *Temporalia perdere noluerunt, æterna non cogitarunt, utrumque perdiderunt.* Hic igitur vulgatus eſt terrenæ politicæ effectus, ſe ipſam confuſam videre, & propria doceri experientia, media, quibus utuntur, effectus intentionibus ſuis prorſus oppoſitos gignere. Et ratio eſt; quia ſeſe irreconciliabilem profitetur Deus inimicum, atque in Scriptura ſe mundanam hujuſmodi prudentiam reprobaturum, & perditurum: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Pater Texier in Dominicali octava poſt Pentecoſten Dominica.*

Errores, quos in deliberationibus ſuis homines contra prudentiam committunt.

In Mundo mortales ratione utuntur eodem pacto, quo olim Judæi, ut Jeſum Chriſtum occiderent. In Synagoga de illius morte non quæritur; hoc jam pridem captum fuerat conſilium; deliberatur dumtaxat de modo, quo illi quidem turpior, inimicis vero illius tutior mors inferatur: *Quid facimus?* dixerunt illi, quid agendum eſt, ultioni colorem aliquem prætexamus, atque juxta judicii formas hominem hunc de mortalium numero exturbemus? Accuſandus eſt, eo quod blaſphemaverit, populoſque ſeduxerit. Nonne quotidie hoc faciunt, qui mundi ſpiritum ſenſuſque ſequuntur? Non quærunt, utrum concupiſcentiæ ſuæ deſideriis velificentur; ſed quomodo illam explere valeant, inquirunt. Non de peccato, ſed de peccati circumſtantiis deliberant, *Quid facimus?* Quid agendum eſt, ut huic ſatisfaciamus cupiditati? pecunia hominem illum corrumpamus. Quomodo familiam hanc opprimere poſſumus? quibus coloribus calumniam hanc diſſimulabimus? quibus utemur artibus, ut de inimico pœnas ſumamus? Verum juſtane eſt hæc oppreſſio? ultio hæc, vel calumnia licet? Non intereſt; hoc in quæſtionem ne vocatur quidem, de rei ſumma jam captum eſt: de additamentis dumtaxat quærendum. Cupiditatem explendam eſſe, hoc ſtat; viæ tantum quæruntur, quibus malum callide fiat, ut recti ſpecies ſervetur. *P. Nover in meditationibus de Salvatoris Paſſione.*

Ut prudenter agas honeſtus ſẽper ob oculos tibi finis verſari debet.

Quemadmodum ſcientiis in omnibus certa quædam præſupponuntur principia, quibus nemo inficias eat, & quæ ita ſunt regula ratiocinationum, quæ de re in quæſtionem vocata fiunt, ut labefactari nullo modo poſſint; ita qualibet in deliberatione conſtans, & immutabilis finis ſtatuendus eſt, qui omnia regat conſilia, quin opinando aliquis inde audeat recedere. In principium conſiliis pro principio publicæ rei utilitas finis eſt ſibi proponendus. Occurrit grave aliquod negotium, de quo deliberandum eſt; bellum inferendum, fœdus percutiendum, pax ſtatuenda? Plures conſultiſſimi viri hac de re, quid cenſent, in medium proferent; verum ne unus quidem erit, qui non affirmet conſilium ſuum publicæ utilitatis futurum, atque ad hanc tamquam ad ſibi propoſitum finem, in quo omnes conveniunt, referri. Quare viri boni, & qui Chriſtianæ prudentiæ lumina ſequi volunt, ante cætera ſibi proponere debent ob oculos Dei gloriam, ſalutem ſuam, & publicam utilitatem tamquam omnium deliberationum ſuarum finem. *Maimburg in Quadrageſima.*

Mũdana prudentia illi oppoſita, quæ eſt a Deo.

Mundana ſapientia abdicanda eſt, ſi Divini ſpiritus ſapientia regi deſideramus: opus eſt, propria lumina extingui, ut illa Divini ſpiritus recipiamus, quandoquidem inter utraque tanta eſt oppoſitio. Heu! nonne videmus, quomodo illa ſibi adverſentur in rebus dijudicandis, ac ſecernendis? Si propria tantum lumina conſulimus, fateor equidem, opes nobis bona videbuntur, honores, & voluptates ſummas apud nos habebunt illecebras; verum ſi hæc objecta nonniſi cum Divini ſpiritus luminibus intueamur, quam longe aliud feremus judicium? Divitiæ non videbuntur amplius bona, ſed malorum omnium cauſa, quippe Deus ſemper in illas ſua jaculatur anathemata; in honoribus nihil niſi nihilum, & inane intuebimur; ac mundum ipſum contemnemus, & execrabimur; atque prout ſacra lumina in mentibus noſtris augebuntur, ita de creatarum rerum amore, ac pretio tantum peribit; eo quod vel minimum cœleſtis hujus luminis radium earum nihilum, & vilitatem nobis oſtendet. *Ex collectione Sermonum recentium, qui Patris Champigni eſſe perhibentur. Sermone de corde novo.*

Falſa detedis politica.

In Herodis perſona unum invenimus ex illis ſæculi prudentibus, qui in omni vitæ ſuæ ratione humanæ tantum ſapientiæ leges conſulunt, qui in actionibus ſuis non alium ſequuntur ducem, quam ambitionem ſuam, & qui ſæpe, ut noxium finem aſſequantur, nequiores adhibent artes. Hinc crudelis ille princeps tantum innocui cruoris effudit, ut regnum, quod injuſte occupaverat, tueretur. Sed quam male omnia Herodis ceſſere conſilia! Magi ad illud non revertuntur, & Jeſus Chriſtus, cujus necem meditabatur, ex manibus ejus elabitur. O humana prudentia, quam cæca es in conſiliis tuis! *Lambert, homilia in feſtum Innocentium diem.*

Contentus eſſe non poteſt, qui pravis artibus finem ſuum eſt aſſecutus.

Ne pravas artes unquam adhibeas, ut votorum ſummam aſſequaris; parum enim honeſtæ viæ omnem auferunt guſtum utilitatis, quæ per illas percipi poteſt. Hoc unum cogita, ad quemcumque felicitatis gradum per fas, & nefas perveneris, nunquam futurum, ut conſcientia te illa pacifice perfrui permittat, & aculeos, quibus torqueberis, eo quod injuſte fueris adeptus ea, quæ tibi deerant, te longe miſeriores effecturos, quam olim eſſes, cum eorum afficiebaris deſiderio. Etiamſi omnibus perſuaſeris, tuam agendi rationem crimine caruiſſe, hoc tibimetipſi nunquam perſuadere poteris, & quotieſcunque videberis tibi honeſtus homo exiſtimari, talem te non eſſe ſtimulis ſuis redarguet conſcientia. *Liber, cui titulus: De filiorum educatione, a Joannes Pico editus.*

SUPPLEMENTUM.

Sapientia ſola tantus eſt ex ſeipſa theſaurus, ut omnibus totius orbis divitiis ſit præferenda.

SAlomon optavit Sapientiam, & Sapientia, quæ prævertit optantes ſe, & occurrit ſe inquirentibus, ſemet illi obtulit ultro. Hanc precibus petiit a Deo, ſciebat enim ab uno illo dari poſſe; & illum ſecundum Sancti Jacobi verba liberaliter eam largiri cum fide petentibus. Mundana, & animalis Sapientia, quam Sanctus Paulus prudentiam carnis appellat, in mundo ſatis communis eſt; at Sapientia Chriſtiana, quæ ſecundum Scripturas, in Dei timore conſiſtit, ſatis eſt rara. Hæc non habetur, quia non poſcitur, quia non optatur, quia pretium illius ignoratur. Hanc rebus omnibus præferebat Salomon, quia hoc in loco teſtatur, ſe nihil umquam majoris feciſſe, quam hanc, quoniam totius mundi aurum præ illa, tamquam pugillus arenæ maris ei videbatur. Sancti pluris hanc virtutem faciunt, quam quidquid habent, & rurſus quidquid non habent. Qui ex illis mundi hujus poſſident bona, ſe beatiores arbitrantur, quia Deus illis gratiam conceſſit illum cognoſcendi, & metuendi; quam quia illos opibus, atque honoribus cumulaverit. Ii vero, qui nihil habent, unam hanc optant Sapientiam, qua putant ſe ſatis locupletes eſſe poſſe, quia ſola eſt infinitus theſaurus hominibus. Qui a Deo Sapientiam receperunt, non ſolum ut illum timeant, verum etiam

ut alios

ut alios doceant illum vereri, eique ſervire, hanc ſine invidia communicare debent, ut in lucro ponant talentum, quod acceperunt, & ſemet reddant, ut inquit Scriptura, *participes amicitiæ Dei* per rectum uſum, fidelemque diſpenſationem theſauri, qui illis creditus eſt. *Tourneux in Anno Chriſtiano.*

Sap. 7.

De humana prudentia, & in quo vera prudentia conſiſtat.

Prudentia eſt recta ratio rerum faciendarum non ſecus ac ſcientia eſt recta ratio rerum ſciendarum. Quomodo igitur in ſcientiis errare duobus modis poſſumus; 1. Cum ratio perſuaſa eſt de illatione mendacii, cui nonniſi ſpecies ineſt veritatis; 2. Cum hæc eadem ratio ad probationes efficiendas, inferendaſque concluſiones falſis innititur principiis, quæ tamen illi rationabilia videntur: ita contra veræ prudentiæ rectitudinem duplici pacto peccari poteſt; 1. Cum ſtudium, & labor rationis noſtræ impeditur propter finem, qui vere bonus non eſt, quamvis omnem habeat ſpeciem bonitatis. Hic proprie effectus eſt prudentiæ carnis, quæ ſibi aliquid perſuadet ad libidinem ſpectans, tanquam veriſſimum bonum ſuum. 2. Cum ad finem ſeu bonum, ſeu malum perventuri, non adhibemus media, quæ vere bona ſunt, ſed quæ in ſpeciem dumtaxat bona creduntur; & hic effectus eſt calliditatis. Itaque mundana hæc prudentia inimicus eſt eo magis metuendus, & pernicioſus, qui nobis ſeſe exhibet tamquam Angelus lucis, vel ſub luce, quæ extrinſecus tantum nitet, vel ſub veræ ſapientiæ perſona. Si ex mundi ſectatore quæro cur ad Salvatoris exemplum non parcis inimicis tuis? Cur cum hoc, vel illo in gratiam non redis? Cur in iras adeo pronus es, ut ad oculi nictum, ad cachinnum, ad flatum verbi prætereuntis, Deo ſuccenſeas? Reddet ille mihi ſtatim: quid inquiet mundus? Qui bono corde eſt, nonne honoris ſui incolumitatem ſervare tenetur? Ecce ſtatim humana prudentia interjecta, quæ ſolis lumini offundit caliginem, egregium generoſitatis colorem aſſumens: Sed hæc non eſt niſi ſpecies inanis prudentiæ. Mundani erubeſcerent, ſi quis diceret; hic vir bonus eſt, bonus fidelis, homo Deum timens. Numquid huic par cæcitas inveniri poteſt in mundo; bona adeſſe ingenia, quæ virtutis pudeat, & quæ pati nequeunt, ut de ſe dicatur: hic bonus eſt Dei famulus? *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Mundani callidiores ſunt, ut ad fines ſuos perveniant, quam Filii Dei.

Fatendum eſt, ſi homines cæci ſunt in finium ſuorum electione, oculatos eſſe in electione mediorum, quæ ad illos perducunt, & nequaquam alienas ſequi vias ut cupiditatum ſuarum finem conſequantur. Huic fortaſſe innixus fundamento dicit Dei Filius, filios tenebrarum ſapientiores eſſe, quam filii lucis; non quod reapſe velit prudentiam tenebrarum prudentiæ lucis præferre; ſola enim qualitas filiorum lucis eos, qui tales ſunt, adducit in veræ ſapientiæ poſſeſſionem: ſed quia ſæpe uſuvenit aliorum nequitiam calllidiorem eſſe, quam aliorum virtutem; & in mundi ſectatoribus, miſeram eorum prudentiam magis eſſe perſpicacem, attentionem magis vehementem, conatus etiam magis aſſiduos, & fervidiores. *Sermo tertius Accademiæ anni* 1675.

Exempla quæ oſtendunt quam falſa ſit & fallax humana prudentia.

Scite Pharao cladem populi Iſrael fuerat molitus; verum non potuit unquam prævidere obicem, qui omnia illius everſurus erat conſilia. Puer juſſu ſuo flumini expoſitus clam in ædibus ſuis nutritus omnem Ægyptiorum potentiam evertit, & ſalvum fecit Iſrael. Abimelech cum ſeptuaginta fratrum ſuorum cæde ſolium occupaſſet; mox eos jugulari qui ad eam cladem ſibi opem præſtiterant; ſed non valuit ipſe violentam evitare necem, lapidis ictu percuſſus a fœmina. Judæi contra Jeſum Chriſtum concilium habuerunt, cumque multa hinc inde afferrentur, dixerunt inter ſe: *Quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum; & venient Romani; & tollent locum noſtrum & gentem.* Hoc pacto ratiocinantes decreverunt Jeſum Chriſtum occidendum eſſe, ut ſuæ civitati, ac genti proſpicerent. Sed funeſtum iſtud conſilium eos perdidit, in miſeram ceciderunt ſervitutem, in qua non legem, non religionem, non cæremonias habebant. *Sanctus Baſilius in quodam ex Sermonibus ſuis.*

Joan. 11.

Imago prudentiæ carnis.

Quam miſeret videre curas, & labores, quibus ſe ipſos torquent filii Noe, ut nomen ſuum immortalitati conſecrent, & ut ſibi contra Domini iracundiam propugnaculum & in calamitatibus aſylum ædificent! Naturalis imago prudentiæ carnis. Quæ inſania eſt in brachio carnis, in ſuæ virtutis auctoritate, in amicorum, patronorumque ſuorum gratia, in theſauris, fortuna, induſtriaque confidere? *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Niſi Dominus noſtra regit conſilia, niſi ipſe omnium finis, & auctor eſt, niſi Deus ipſe noſtram inſtituerit fortunam, omnes curæ conatuſque noſtri ad nihilum rediguntur. *Pater Croiſet in Anno Chriſtiano.*

Mundanorum dementia præcipue in eo poſita eſt quod eligunt media prorſus contraria fini, quem ſibi proponunt. 1. Cor. 3.

Ut Apoſtolus mundi hujus Sapientiam confundat, non vocat illam ſimpliciter ignorantiam, vel errorem, ſed ſtultitiam in oculis Dei: *Stultitia eſt apud Deum.* Re ipſa ſæculi Sapientia ſibi venditat prævidentiam, & ratiocinationem, qua caret; & in hoc mira inſania eſt: Etenim ullane gravior eſt inſania, quam inire conſilia prorſus fini ſibi propoſito adverſantia? Mundi ſapientes ad felicitatem adſpirant non ſecus ac ſapientes Evangelici, ſed iis inſiſtunt viis, quæ maxime a vera aberrant felicitate. Vera hominis felicitas in eo ſita eſt, ut Deum agnoſcat, amet, & hac in vita illi ſerviat; neque enim alioquin poſt mortem eſſe poteſt beatus. Quid autem inſipientes hi? Seſe jugiter omnibus ingurgitant voluptatibus; inhiant opibus, quæ ſexcentas iiſdem ingerunt curas; indeſinenter vanos appetunt honores, quibus ſuperbiunt, & ſupremi boni adſpectum amittunt. Ardenter optare felicitatem, ea vero ſectari, quæ ad miſeram ducunt infelicitatem, tanta ſtultitia eſt, ut major nequeat excogitari. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Dei conſilia procul diſtant a conſiliis hominum.

Quam longe a noſtris Dei diſcrepant conſilia! Quis lacrymis proſecutus non eſſet triſtem Joſephi caſum? De illius ſorte procul dubio metuendum erat. Puer Iſmaelitis venditur; totum illius crimen eſt rectitudo, ſimplicitas, pietas. In carcerem conjicitur, quia ſuam tueri voluit innocentiam. Attamen ipſe carcer, & ipſa captivitas gradus ſunt, per quos ad ſolium evehitur. Humana prudentia hoccine iter arripuiſſes, ut Joſephum ad primum Ægyptii imperii honorem eveheres? Rectam hanc viam nacta fuiſſes? Hæc erat tamen breviſſima, & ſola, quæ illum ad tantum magnitudinis faſtigium, tantamque felicitatem promoveret. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Mundi ſapientia coram Deo ſtultitia eſt.

Conceptus, quem in ipſa etiam Chriſtianæ religionis luce, ſibi proponunt mortales, fallax eſt; nulla vera ſapientia eſt præter eam, quam Jeſus Chriſtus in terris nos docuit. Quid autem homo iſte Deus nobis præſcripſit? ut paupertatem diligamus, cruces, contemptus. Dicerene auderes decipi Jeſum Chriſtum? Quomodo autem auditis mundum, quo jubemini amare divitias, voluptates, honores: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt,* in domum Patris cœleſtis non admittemini. Ibi ſedes iis tantum poſuit, qui regulas Divinæ hujus Sapientiæ ſequerentur, quam mundi ſapientes vocant ſtultitiam: *Stultus fiat, ut ſit Sapiens. Pater Segneri in Meditationibus.*

Baruch. 3.

Prudentiæ regulas ſequamur, ſed in uno Deo confidamus. Prov. 3.

Spiritus Sanctus nobis uſum prudentiæ non interdicit, cum jubet in Deo confidere; prohibet ſolum ne omnino in prudentia noſtra confidamus: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et ſane Dominus æque temeritatem, & nimiam odit prudentiam. Altera eum tentat, ac nimis de illius auxiliis confidit; eum negligit altera, & nihil ejuſdem ſubſidio debere videtur. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus veſtris:* hæc duo ſejungenda non ſunt. Temerarius, qui omnia ſorti committit, videtur vim inferre Deo, ut ad nutum ſuum prodigia operetur: ſed vir prudens ſecundum Evangelium hinc quidem omnia diſponit, ut effectum ſuum conſequatur, inde vero invocat Dominum, a quo omnia ſe ſperat conſecuturum. *Idem ibidem.*

1. Petr. 4.

Oblectatur Deus ſæculi prudentiam confundere.

Oblectatur Deus eorum præſumptionem confundere, qui confidunt in Sapientia ſua & apertiſſimis documentis, oſtendit omnem ſpecioſam hanc prudentiam meram eſſe ſtultitiam. Fratres Joſeph, Sanctus Gregorius magnus inquit, ſe putabant ſapientes ſecundum affectus ſuos; qui fratrem vendendum eſſe cenſuerunt, ne inter ipſos aſſurgeret ea auctoritate, quam Deus in ſomnis illi portenderat; atque illum ſervum efficientes, totius Ægypti Dominum, atque Dominatorem fecerunt. Vendiderunt illum, ne potens fieret; ipſe niſi venditus fuiſſet, potens fieri non potuiſſet. Ita juxta Sancti Pauli ſenſum Deus geſſit confundere ſapientes in fallaci, atque tenebricoſa prudentia ſua, utiturque iiſdem conatibus, quos exerunt voluntatibus ejuſdem adverſaturi, tamquam aptiſſimis mediis ad eos velint, nolint excitandos. *Auctor Anonymus.*

Sæculi ſapientia oppoſita eſt ſapientiæ Jeſu Chriſti; igitur ſæculi ſapientia fallax eſt.

Quanta principiorum diverſitas, & oppoſitio! Mundus hominis felicitatem conſtituit in voluptate, honore, opulentia; & Jeſus Chriſtus palam affirmat beatos eſſe, qui lugent, qui pauperes ſunt, qui perſecutionem patiuntur. Quemadmodum fieri nequit, ut veritas utrobique inveniatur; facile eſt cum Sancto Bernardo ita argumentari: vel fallitur Jeſus Chriſtus, vel mundus errat; at Jeſus Chriſtus ipſa veritas eſt, æternaque ſapientia; fallitur igitur mundus, & Salvatoris inſtituta æque certa, & extra omnem dubitationis aleam ſunt poſita, ac fidei noſtræ myſteria. Omnem hujus argumentationis vim aſſequi, idem eſt ac auferre generale

generale principium horridæ hujus contradictionis, quæ inter Evangelii placita, noſtramque vivendi rationem intercedit. *P. Segneri in Meditationibus.*

Sapientia ſæculi falſo hominis felicitatem in voluptatibus, divitiis, & honoribus conſtituit.

Fallax ſæculi Sapientia vocatur Sapientia terrena, carnalis, diabolica; terrena cum felicitas in terræ hujus opibus collocatur; carnalis, cum in voluptatibus carnis conſtituitur; diabolica cum in falſis honoribus luciferi exemplo, ambitioſorum anteſignani ponitur. Igitur mundi Sapientia illuſio eſt; ſpem quippe facit, nos beatitudinem noſtram inventuros in bonis, quæ nos beatos nequaquam poſſunt efficere. Uſus divitiarum a nobis faciendus eſt, nobis in noſtris neceſſitatibus conſulere: Illæ media ſunt, per quæ perveniamus ad extremum finem noſtrum, & media etiam periculoſiſſima. Nos igitur fallit Sapientia mundana, cum efficit, ut nimis ſollicite inquiramus illas; nos etiam fallit, cum efficit ut noſtram conſtituamus felicitatem in illis rebus, quæ corpus noſtrum alliciunt; hoc enim eſt velle felicem noſmet coarctando ad ea, quæ corporis pariunt felicitatem, neque attendendo ad ea, quæ unice animæ felicitatem conſtituunt. Neque honores vera ſunt hominis bona, non enim conſtituunt meritum, cujus dumtaxat ſunt notæ, immo etiam notæ maxime ambiguæ; quandoquidem in terris ſæpe cum impio ſimul communes ſunt, & bono. *P. Segneri in Meditationibus.*

Oratio ad Deum, ut Sapientiæ donum nobis concedat.

Quidnam eſt in oculis tuis, Domine, humana Sapientia? Amplitudinis cogitationes, ambitionis, ac politicæ ambages; hæc id genus omnia coram te inſania ſunt. Glorientur mundi ſapientes magna agitare conſilia; iiſque callide exequendis vacent; eorum cæcitatem collacrymabor. Se miſeros putant, cum poſt tot motus nihil ipſis benevertit; ſed illos miſeriores crederem ſi omnia ipſis fluerent e ſententia; ſemper enim magis, magiſque recedunt ab eo fine, quem illi ſibi deberent proponere. Nequaquam, Domine, ſapientiam non vocabo, niſi eam, quæ docet omnes meos conatus dirigere ad finem, propter quem creatus ſum. Hanc in omnibus meis deliberationibus conſulam; Hanc auro, pretioſiſque lapillis anteferam. Sed ubinam gentium unum hanc veram ſapientiam adeptum eſſe inveniam? Non habitat illa in corpore ſubdito peccatis; igitur opus eſt, ut ducam initium expiando cor meum, ſi volo hanc a Spiritu Sancto mihi communicari: & nonniſi per pœnitentiam illi dignam ipſa habitationem potero præparare. Hanc a te peto, Domine, certus enim ſum hanc mihi conſtanter futuram vitæ meæ regulam: ne rejicias vota adeo juſta, & ſincera. Si obliviſcerer conſilii mei, neque eam conſulerem; hodierna luce peto abs te, ut meo cum rubore perturbes, quidquid ſine eadem me facturum decrevero. *P. Segneri. Tom. 5. Meditationum.*

Viæ, quæ in ſcelus adducunt, ſimiles ſunt illis, quæ ducunt ad virtutem; Chriſtiana opus eſt Sapientia, ne decipiamur.

Vitium inter, & virtutem tanta affinitas eſt, ut ſi parum a ſolida pietate deflectas, certiſſime labaris in eos errores, in quos ſcelus adducit. Num aliquid eſt, quod conſtantiam melius imitetur, quam pertinacia, liberalitatem quam prodigalitas, prudentiam, quam verſutia? ita vitia virtutis ſpecie teguntur. Sæpe iracundia immoderata vult pro juſto zelo haberi, & timiditas pro humilitate. Quemadmodum ergo facile non eſſet a recto tramite declinare, & in falſæ pietatis ſtatum incidere, quandoquidem hæc adeo prope veram pietatem imitatur? Et profecto quot hodierna die ſunt aſſerti ſpiritales, qui rectam viam ſequi videntur, quamvis ab eadem procul aberrent? Amor proprius, qui eos in omnibus ſuis operibus deducit, hos eos uſque ſeducit, ut illis perſuadeat ipſos juxta æquiſſima principia operari, eorumque opera juſta eſſe. Secreta hæc voluptas, quam ex laudibus percipiunt; amor hic, quo vitæ hujus commoda conſectantur; incompoſita hæc ubique præſidendi, & omnia ad ſenſus ſuos redigendi cupiditas; denique oblectationes, quas ſubinde percipiunt ab actionibus ſuis, illis damnandæ nequaquam videntur. Si illos loquentes audias, nihil eorum prudentia admirabilius eſt. Cum laudantur, Deus laudatur in illis. Si laborem fugiunt, & ea ipſis negotium faceſſunt, id agunt, ut ſine ulla diſtractione, & exceptione ſe devoveant Deo. Cum nimium ſolliciti ſunt ne egeſtate premantur; hæc eſt pro futuro tempore ſollicitudo, quæ poteſt haberi, quin fiat Providentiæ contumelia. Cum gradus præeminentiam, ac auctoritatem videntur appetere, propter proximi utilitatem agunt; cumque ſua ob jactantiam bona recenſent opera; hæc peculiaris eſt meditatio earum gratiarum, quæ ipſis Deo ſunt agendæ. *Sermo tertius Accademiæ anni* 1695.

Cum de virtute agitur, facile eſt errare, & malum pro bono deſumere.

Quemadmodum in mundanis rebus falſa intereſt prudentia, quæ ignorat vel confundit vera bona, quæ init conſilia ſine ratione, eaque ſine ullo fructu exequitur; & quæ ad gloriam, vel fortunam adeundam via inſiſtit, quæ a propoſito fine aberrat: adeſt etiam in iis, quæ ad ſalutem pertinent, ſapientia cæca, quæ bonum cum malo confundit, quæ, ut inquit Propheta, tenebras pro lumine accipiunt, & viam, quæ ducit ad mortem pro illa, quæ ducit ad vitam. Infelix ſapientia, & dupliciter decepta, & eo quod ignorat veritatem, quam credit cognoſcere, & eo quod putat ſe veritatem ſequi, quam deſerit. Proculdubio Deus ut adeo deplorabili cæcitati mederetur per os Sapientis nos admonet, non deeſſe viam prorſus aberrantem, quæ videtur habere rectitudinem anguſtarum ſemitarum, per quas juſtus incedit; quæ tamen adducit in teterrimum finem, quo viæ latæ, per quas impii decurrunt, ſolent adducere. Quinam æquior conceptus fingi poteſt periculi harum viarum, eo, quem nobis adſtruit Salomon? Hæc via eſt, quæ tuta videtur eſſe; quam citra metum ingredimus, in qua ſine ſollicitudine immoramur. Et nihilominus viæ hujus finis ducit ad mortem. Quid igitur in adeo moleſto ſitu faciendum eſt? Si progredimur in inevitabilem interitum ruimus; ſi inde emergere volumus, prohibemur vinculis eo validioribus, arctioribuſque, quo videntur, non dicam equidem ſuaviora, & jucundiora; ſed ſanctiora, ſacratiora, & manu ejuſdem pietatis, & Religionis elaborata. Nonne igitur opus eſt prudentia ſatis bene illuſtrata, ad veram viam eligendam? *Sermo quartus Accademiæ anno* 1695.

PUR-